DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA DE CONATU,

QUAM

CHRISTO OMNIUM RERUM MODERATORE AC DUCE,

AUTHORITATE AC DECRETO

Magnificæ ac Nobiliſſimæ,

FACULTATIS JURIDICÆ, IN INCLYTA UNIVERSITATE MARBURGENSI,

Pro ſummis in utroque Jure honoribus, privilegiis atque immunitatibus Doctoralibus conſequendis,

PUBLICO DNN. PROFESSORUM

examini ſubmittit,

Ad diem 13. Julii,

CONRADUS STOCK,

Schwelmà Marcanus.

MARBURGI, Typis JOH. HENR. STOCKII, An. 1693.

VIRO

Prænobiliſſimo ac Magnifico Dn.

DOMINO

HENRICO

de MOTZFELD,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI, REGIMINIS CLIV. AC MARCÆ CONSILIARIO INTIMO, UT ET SUPREMO RERUM BELLICARUM COMMISSARIO, PATRONO SUO MAGNO,

VENTILATIONEM HANC INAUGURALEM

Sacram eſſe vult,

CONRADUS STOCK,

J. N. D. J C.

Præfatio.

EOusque depravata mortalium ſeculi hujus in ævum inclinantis perverſitas,& prona in malum proceſſit libido, ut JCti effato in *l. 1. §. fin. quod quisque jur. &c.* ſed non rectè intellecto freti , ingeminare non erubeſcant, quid obeſt conatus ubi injuria nullum habuit effectum? adeoque actu primo nefanda concipere, illicita cogitare, tractare turpia, facto etiam extrinſeco audere, modo ab actu ſecundo caveatur, ſaltem in foro ſoli nullam pœnam mereri, malè ſani arbitrentur. Hinc temerariæ alienarum nuptiarum ſollicitationes , vetiti æternæ veritatis lege amplexus, tentati contra naturam horreo dicere! cum beſtiis quoq; congreſſus, paratusque in quamlibet ſcortationem animus, exiſtit, quis non obſtupeſcat! hinc periculoſa rei familiaris turbatio , tetra præſtantiſſimarum urbium conflagratio , miſera imo miſerrima florentiſſimorū quondam populorum diſſipatio , diraque totius celeberrimi Regiminis everſio metuenda, quis non contriſtetur! Hinc denique

nique mutuæ in necem alterius conjurationes, illicita ad interficiendum cum telo ambulatio, lugubris ad contabeſcendum gliſcentis veneni præparatio, imo propinatio, hinc tumultus, rixæ, ſeditiones, & quicquid demum vel ad nocendum tertio, vel ad convellendam Rempubl. vel tollendum è medio principem conducit, tanquam ex ſcaturigine malorū copioſè propullulat, quis non illachrimetur! ſed quicquid aliis cerebrina dictavit ſapientia, vel potius veſana ſuggeſſit procacitas, juſtitiæ tamen ſacerdotes, quiq; rectū conſcientiæ dictamē ſequuntur, in ſoli æquè ac poli foro, cogitationem impiam per actū verbi vel facti extrinſecus manifeſtatā, punibilem eſſe immotis Juriſprudentiæ fundamentis, pluribus demonſtrant. Sicuti etiam explodendam eſſe eorum ſententiam, qui conantem nunquam pœna ordinaria plectendū eſſe, & authoritatibus, textibus ac rationibus comprobant, prout hæc & ſimilia latius præſens dabit Diſſertatio, quæ integra & in ſe, tā conatus liciti quam illiciti materiā, penitus per cauſas & effectus elucidabit, opus utile neceſſarium pariter ac ſublime, & captum meum ut fateor ferme excedens; Aſt D. O. qui conatibus hominum licitis clemener favere ſolet, ſupplex rogito, ut conatū ejus, qui de conatu verba facturus eſt, ita auxilio ſuo ſecundet, quo propoſitum ritè in effectū ab eo deducatur. Audior! cœlum annuit, ſit igitur.

Auxiliante Jehova.

Th. I.

DUplicem verbi conatus, quod teſte Matth. Martino in Lexico Philolog. vel à veteri vocabulo conus, vel potius à Græco *κονῶ*, id eſt, ſtudere, inſtare & operari, originem metitur, tum apud JCtos, tum Auctores Claſſicos reperire licet ſignificationem; uſurpatur enim ſemel pro actu primo, directo in ordine ad effectum, ita Cicero *in Catilin. 1. c. 5. compreſſi tuos nefarios conatus amicorum*; idem de Aruſp. *c. 4. Conatum Clodii refutabo velut heſterno die.* his adde *l. 1. §. 1. in f.* verb. *quid enim offuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum ff. quod quisque jur. l. 5. ibi, vel conventicula, collecta multitudine in qualibet parte civitatis, vel vici, vel cujuscunq. loci, colligere ac celebrare conetur C. de his qui ad Eccl. conf.* & hoc modo dicitur alias Conamen in *l. un. C. ſi quac. pot. præd.* alias attentatio *l. 2. C. de his qui ad Eccl. l. 10. de injur.* alias auſus §. *6. I. de publ. Iud.* alias ſollicitatio, interpellatio *c. 15. de pænit. diſtinct. 1. Germ.* ein unterſtandene That. *conſt. crim. art. 178.* complectiturque in ſignificatione latâ conſilium, quatenus id denotat decretum & concluſum conſultationis & deliberationis; vel inſtructivum §. *6. I. mand.* vel directivum, cum ab alterius ingenio ali-

Etymologia.

Homonymia.

Synonymia.

cujus intentio dirigitur, vel communicativum, quando complices communi ſtudio atque operâ, conſilia dirigunt. *l.53. in f. de V.S. l.10. §.1. de alien. jud. mut. cauſ. fact. l.1. C. qui & adv. quos, l.52. §.19. de furt. l.1. §.1. l.15. §.10. de injur. l.3. de O. & A.* Otto Thab. *racemat. 2. th. 43. & 49.* ſemel pro actu ſecundo ſeu effectu ipſo, ſic Cornel. Nep. *in Datam. c. 7. quo nuntio Attaxerxes commotus, quod intelligebat ſibi cum viro forti ac ſtrenuo negotium eſſe, quicum cogitaſſet facere auderet, & prius cogitare quam conari conſueſſet.* Huc facit *c. 42.* ibi *invenire conantur* pro inveniunt *x. de elect. & elect. pot. l. ult.* verb. *noſtra lege eorum conamine violata. C. de locat. & cond. l.4. ibique* Bald. *C. de ſumm. trinit.* priorem conſiderationem noſtram facimus, omneque negotium attentatum *l.5. C. de Epiſc. & Cler.* inchoatum, quatenus opponitur nudè cogitato *l. 18. de pœn.* & volito (niſi actus aliquis extrinſecus, ſive verbi, ſive facti, acceſſerit cogitationi *l. 5. C. ad l. Jul. maj. l. 6. de his qui ad eccleſ. conf. ibique* Brunnem.) itemque perfecto, conatum dicentes. vid. Godelm. *lib. 3. de mag. & malef. c. 11. n. 34. & ſeqq.*

acceptio nobis propria.

Th. II.

Definitio realis.

HUjus deſcriptionem, paucis mutatis, mutuabimur à Struvio *Exerc. 48. th. 5.* quod ſcil. *ſit actus voluntatis exterior*, hinc diſtinguitur à cogitatione, quatenus vel animæ ſemet ipſum alloquentis ſermonem, juxta Alber. Gent. *diſp. 4. p. 64.* vel mentis decretum cum alio non communicatum, denotat, nuncupaturque, in ſpecie voluntas, quæ utpote in lucem non producta, reputatur abortiva, eſtque tanquam poſthumus in utero exiſtens, qui niſi in lucem proferatur, nihil fuiſſe de jure concluditur *l. ult. C. de poſth. hæred. inſt.* atque hæc, utpote ſoli Deo cognita, nullos fermè in foro ſoli *c. 20. diſtinct. 1. de pœnit. c. 14. cod.* (ſecus ut in foro poli *Deu-*

ter.

ter. c. 5. & Matth. c. 5. c. qui viderit c. 32. q. 5.) producit effectus, juxta illud: voluntas in mente retenta nihil operatur *c. 1. de eo qui mitt. in poſſ. l. 46. de hæred. inſt. l. 99. de V. O. l. pen. §. ult. de bon. poſſ. ſec. tab. l. 7. §. 8. de pact.* imo etiamſi in actum verbi deducta fuerit, tamen punibilis non eſt, maximè in delictis de jure non notatis *l. 18. de pœn. l. 1. §. 1. de furt. l. 225. de V. S. 2. f. c. 51.* bellè Hugo Grot. *lib. 2. c. 20. de jur. b. & p. inquit: actus merè interni, etiamſi caſu aliquo, put a per confeſſionem ſubſecutam, ad notitiam aliorum pervenerint, puniri tamen ab hominibus non poſſunt; adde* Tiraq. *ad l. ſi unquam C. de revoc. donat. p. 59. n. 20. & ſeqq.* Anton. Bull. *ad conſt. crim. art. 178. ad negotium quodlibet (intellige licitum vel illicitum) perpetrandum deſtinatus,* per quæ verba differt ab effectu, nam conatus opponitur conſummato *l. 1. §. 1. quod quisque jur.* ſicuti imperfectum perfecto *l. 1. §. 2. de extraord. crimin.*

Th. III.

Diviſio

DIviditur ratione cauſæ efficientis remotæ, in conatum lege notatum, & non notatum *arg. l. 13. §. 4. de his qui not. inf.* ratione objecti, in conatum verbi *l. 1. §. 3. de ſerv. corrupt. l. 20. C. de furt. l. 1. & 7. de extraord. crim.* & facti *art. 178. conſtit. crim.* uterque in licitum & illicitum *§. 7. I. quib. mod. teſt. inf. pr. I. de empt. vend. l. 17. C. de fid. inſtr. l. 1. inf. quod quisque jur. &c.* ratione modi procedendi, in conatum in actu primo remoto & proximo, ratione finis, qui tendit in id quod licet & honeſtum eſt, & eum qui dirigitur in id quod prohibitum & indecorum eſt, de quibus ſingulis in ſeqq. latior diſſerendi campus aperietur.

Th. IV.

Cauſa efficiens remota.

NEgare autem non poſſumus, quin originaliter & genericè rem conſiderando, Jurigentium materiam conatus ad-

adſcribere debeamus, nam quatenus verſatur circa licitum app- quatenus circa illicitum ab eodem jure reprobatur; & pœna dignus judicatur, *junge* Grot. *de Iur. b. & p. c. 20. §. 1. n. 2.* inquientem: *inter ea quæ natura ipſa dictitat, licita eſſe & non iniqua; eſt & hoc, ut qui malum fecit malum ferat &c.* & §. *8. n. 3.* exemplũ de conatu adducens ait: *& Iugurtha apud Saluſtium cum dixiſſet, Adherbalem vitæ ſuæ eſſe inſidiatum*, addit, *populum Romanum neque pro bono neque pro recto facturum, ſi ab Iure gentiũ ſe prohibuerit*, ergo ultio reſpectu conatus quoque juregentium permiſſa reputatur. *vide* Gronov. *ibid. in not.* & quid ni? quo Jure enim licet actum perficere, eodem jure etiam licebit conari, in ordine ad perfectionem. *arg.* §. *13. I. de R. D.* & quo Jure reprobatur delictum, eodem quoque improbatur conatus ad idem directus, cum absque actu primo non ſit ſecundus. *add.* Bald. *in c. ult. column. 2. de conſuet.* ſpecificè verò & quoad extrinſecam determinationem, Juris poſitivi eſt. *arg. l. 6. de Iuſt. & j. l. 1.* §. *2. de extraord. crim. l. 5. C. de epiſc. & cler. l. 6. C. de his qui ad eccleſ. conf. l. 5. C. ad l. Iul. maj. l. un. C. de rapt. virg.* proinde etſi fieri nequeat, ut conatus illicitus promiſcuè nulla pœna coerceatur, cum ita via criminibus non tantum aperiretur, ſed etiam ſecuritas & tranquillitas publica labefactaretur, ne dicam tolleretur, tamen mitius vel pro circumſtantia rei, loci, temporis, qualitatis, vel etiam gravius quam alias ordinariè delictum conſummatum, neceſſitate, conſuetudine vel lege ita ſtatuente, puniri poſſe non dubitamus. *arg. l. pen. de I. n. g. & civ. l. 16.* §. *fin. de pœn. vid.* Tiraq. *de pœn. temp. aut remitt. cauſ. 38.* non tamen idem Judici ſimpliciter concedemus, quoniam is neque clementior neque durior lege eſſe, nec arbitrium ſuum contra, ſed ſecundum jus ordinare debet. *nov. 82. c. 10. l. 1.* §. *3. ad SCtum Turpill. l. 14.* §. *Divus 14. de relig. & ſumt. fun. l. 8. in*

f. C.

ſ. C. ad l. Iul. de vi publ. l. 25. de act. emt. c. is qui 18. de ſentent. excomm. in 6. Philipp. Dec. *in cap. ex literis x. de conſtit.* Tiraq. *all. loc. cauſ. 39.*

Th. V.

ALias immediatè conatus, profluit ex voluntate hominis, juſtum vel injuſtum, bonum aut malum, licitum vel illicitum intendentis, nullus enim actus formaliter committitur abſque animo, *l. 14. ad l. Corn. de ſic. l. 33. de injur. l. 1. C. ſi adv. delict.* multo minus itaque conatus, ſine affectu facientis, quicquam operabitur. *arg. l. 44. §. 1. & 45. ad l. Aquil. l. 38. §. 1. ad l. Iul. de adult.* Quicunque igitur licitum efficere, v. g. contractus, ſponſalia, nuptias &c. celebrare queunt, ii quoque legitimè in ordine ad perfectionem conantur, perſonæ autem hæ quales ſint, operæ pretium non eſt nominatim recenſere, cum earum ab Interpr. paſſim ſuis in locis, fuſiſſimè mentio fiat. *vid.* Struv. *Exerc. 6. th. 36. & ſeqq.* ratione illiciti verò, ſequentem regulam comprobamus: formaliter perficiens actum ſecundum, eodem modo perficit quoque actum primum, & verè conatur *l. un. de rapt. virg. l. 5. C. ad l. Iul. maj. l. 5. C. de Epiſc. & Cler.* & hi quoque ſuis in locis, ab in Interpr. qui materiam delictorum tractant, copioſè enumerantur.

Cauſa efficiens proxima.

Th. VI.

Subjectum.

OBiter tamen notandum, quod cum à voluntate dependeat conatus punibilis, is non niſi ab iis qui animi judicio pollent, expediri queat *l. 1. §. 3. l. 7. l. 14. ad l. Corn. de ſic, c. 1. cauſ. 15. q. 1.* hinc eximuntur omnimodo (1) infantes & furioſi (quibus annumerandi phrenetici, & mente capti. Farinaz. *oper. crim. q. 93. n. 2.*) cum alterum innocentia conſilii tueatur, alterum fati infelicitas excuſet *l. 12. ad l. Corn. de ſic.* furioſum autem eum intelligimus, qui vel in perpetua mentis alienatione eſt, vel ſaltem eo tempore, quo delictum perfice-

re conatur, furit, ſufficiens enim tunc pœna furor eſt *l. 9. §. 2. ad l. pompej. de parricid. c. aliquos. cauſ. 15. q. 1. clem. un. de homicid. conſtit. crim. art. 179. & 197.* Tiraq. *de pœn. temp. & remit. cauſ. 12.* quilibet itaque ſuperior, inſiſtat veſtigiis Adriani Imp. qui teſte Ælio Spartiano, apud Terraconem ſpatiatus per viridaria, ſervo in ſe cum gladio furioſius irruente, illum quidem retentum miniſtris accurrentibus tradidit, & ubi furioſum eſſe conſtitit, Medicis curandum dedit, in nullo omnino commotus. Sin autem ut plerumque adſolet, intervallis quibusdam, ſenſu ſaniore ſcelus admiſerit, nec morbo ejus danda eſt venia *l. 14. de offic. præſid.* diligenter igitur inquirat Judex, utrum furor verus an ſimulatus ſit, multum tamen hac in re conjecturis, ſignis exterioribus ac depoſitioni Medicorum, cauſas furoris exprimentium, tribuat. Carpz. *pract. crim. q. 145. num. 29. & 30.* ſciscitetur inſuper, an & quo tempore delictum perpetratum ſit *l. 14. de offic. præſid.* ſciendum etenim, quod ſi quis furioſus fuerit, non tempore intervalli, ſed furoris periculoſa tentaſſe præſumatur, adeoque contrarium aſſerenti onus probandi incumbat. *l. 22. ff. & l. 2. C. de probat.* quoties verò de furore haud conſtat, cenſebitur potius ſanæ mentis, quam furioſus deliquiſſe. Carpz. *all. loc. n. 35.* Sanè ſive ante furorem, ſive tempore intervalli, quis etiam enormiſſima perficere conatus fuiſſet, tamen poſtmodum vel incidens vel in furorem recidens, tempore furoris puniri nequit, ſed differenda executio eſt, donec reſipiſcat, interim enim pro abſente & mortuo reputatur. *l. 24. §. 1. rem rat. l. 5. de pœn.* & ita obſervari, teſtatur Gail. *l. 2. obſ. 110. n. 22. add.* Struv. *Exerc. 48. th. 10.*

Th. VII.

EXimuntur ſecundum quid, qui voluntate non perfectè utuntur, ſic pœna ordinaria conatus non tenentur (1.) melan-

melancholici, qui præter animi furorem, triſtia quælibet, dira & horrenda ſibi imaginantur, quandoque etiam errabundi, de loco in locum fugiunt; de quibus lege Carpzov. *pract. crim. q. 145. n. 54. & ſeqq.* (2.) mitius puniuntur, pubertati proximi. *conſtit. crim. art. 164. ibi:* So der Dieb oder Diebinne/ihres alters unter 14. Jahren wären/die ſollen um Diebſtahl ohne ſondere Urſach/ auch nicht vom Leben zum Tode gerichtet werden. Sin hoc in delicto perfecto obtinet, quanto magis in imperfecto procedet, etſi enim in hujusmodi ætatem dolus cadat *l. 111. de R. I. l. 23. de furt. l. impunitas C. de pœn.* fragilitas tamen judicii, excuſationem meruit. Tiraq. *de pœn. temp. cauſ. 7.* Clar. *in pract. crim.* §. *ult. q. 60. n. 3.* pro ratione verò malitiæ, atrocitatis delicti, aliarumque circumſtantiarum, etiam ad mortem usque pœna aggravari poterit *d. art. 164.* ibi: So ſollen Richter und Urtheiler deshalben Rahts pflegen/ wie ein ſolcher junger Dieb/ an Gut/ Leib oder Leben/ zu ſtraffen ſey; quæ ſanctio, etſi ſpecialiter de furto concepta ſit, tamen ob identitatis rationem, ad quælibet delicta extendi poteſt. Carpz. *q. 143. n. 24.* Nollem igitur Impuberem, in necem coronati capitis conductum, & ſclopetam in principem exonerantem, itaque quantum in ſe fuit delictum conſummantem, à pœna capitis immunem pronunciare. *arg. l. 14. ad SCtum ſilan. ubi adde quæ ibidem tradit* Brunnem.

Th. VIII.

Mitius (2.) puniendi ſenes (qui, quales ſint hac in materia, Judicis arbitrio relinquimus. Menoch. *de arbitr. Iud. quæſt. caſ. 59. n. 3.*) ob decrepitam ætatem, in pueritiam degenerantes *l. 2. de term. mot. l. 6. ad l. Jul. pecul. l. 3. §. 7. ad SCtum Silan.* Tiraq. *d. loc. cauſ. 8. n. 3.* ut meritò ſonet illud Virgilii *lib. 12. Æneid.*

Dauni, miſerere ſenectæ.

latè Carpz *q 144. per tot.* (3.) extremè ebrii, quorum intellectus, mero obrutus, delitеſcit, magis enim ob culpam, puta ebrietatem, quam ob dolum ſunt puniendi. *c. inebriaverunt. cauſ. 15. q. 1. c. à crapula. de vit. & honeſt. Cler. c. venter diſtinct. 35. l. 6. §. 7. de re milit.* Farinatz. *p. 3. oper. crim. q. 39. num. 4.* Quod ſi autem quiſquam de induſtria, dolo malo ſe inebriaverit, ut delictum perpetraret, à pœna non abſolvitur, cum hic dolus & culpa concurrant. Tiraq. *d. l. cauſ. 6. n. 10.* ſicuti nec eum, qui ebrium ſe ſimulat, vel ebrioſus eſt, excuſamus. Carpz. *q. 146. num. 48. cum ſeqq.* Struv. *Exerc. 48. th. 10.* Hiſce videntur annumerandi (5.) amoris œſtro perciti, maximè in delictis quæ carnis nuncupantur, & quid ni? cum nihil furore amoris vehementius ſit, quem retinere philoſophiæ perfectæ eſt. *nov. 74. c. 4. cap. cum in juventute X. de præſumpt.* Virgil. *lib. 4. Æneid.*

Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem.

Farinatz. *de pœn. temp. q. 98. cauſ. 13.* ubi *n. 89. & 90.* inquit, eum, qui ſcalas de nocte in alienam domum apponit, illuc intrandi, & ſuam amatam carnaliter cognoſcendi cauſa, mitius puniendum eſſe. *add.* Clar. *pract. crim. q. 68. n. 4.*

Th. IX.

ETſi verò in rebus licitis, & quod attinet rerum ſuarum alienationem, prodigi furioſis comparentur *l. 40. ibique* Bronchorſt & Guntz. *ff. de R. I.* tamen quia compos ingenii, & doli perfectè capax eſt, eum à conatus prohibiti pœna non excludimus. *arg. l. pen. de incend. ruin. naufr. l. 13. §. 2. de ædil. edict.* ſicuti nec diſtinctionem facimus, quod delicta attinet, cum jure naturæ & divino pugnantia, inter marem & fœminam, ſed quod in illo conſtitutum eſt, etiam ad hanc æqua lance extendendum eſſe arbitramur. *arg. L. 1. l. 195. de V. S.*

l. 38.

l. 38. §. 2. ad l. Iul. de adult. niſi vel imbecillitas, vel commiſeratio, in caſibus de jure expreſſis, aliud ſuadeat. *l. 6. & 7. pr. ad l. Iul. pecul. l. 5. C. ad l. Iul. maj.* Treutl. *diſp. 2. th. 1.* nec credimus ſubveniendum ei, qui juris naturalis ignorantiam allegat. *l. 38. pr. §. 1. & ſeqq. ad l. Iul. de adult.* Secus ſi peccetur contra juris poſitivi prohibitionem, præſertim ab iis, qui jus ignorare poſſunt. *l. 57. §. 1. de rit. nupt. l. 9. de jur. & fact. ign. l. 38. §. 2. & 7. ibique* Brunnem. *ad l. Iul. de adult* Struv. *Exerc. 48. th. 9.* Gail. *lib. 2. obſerv. 48. n. 28.* non abſolvuntur quoque, ſurdi & muti intellectum habentes, quoties nimirum per teſtium depoſitionem, de conatus illiciti qualitate, & ſi poſſibile eſt, per ſigna nutusve, de confeſſione delicti conſtare poteſt, tales ſiquidem, cum obligentur firmiter ex contractu *l. 4. de pact. l. 48. de O. & A. l. 33. §. 2. de donat.* quomodo in delictis excuſabuntur? facit huc. *l. 3. §. 8. & 10. mutum ſimili modo excipimus, ſed ibi, ubi vocis tantum auxilium ſuperfuit. ff. ad SCtum ſilan.* ſi igitur tunc ſaltem veniam meretur mutus, quoties clamando crimen non impedivit, ſequitur quod regulariter, modo ordinario in eum advertatur. *arg. l. 1. de off. ej. cui mand. eſt juriſd. latè* Farinatz. *p. 3. oper. crim. q. 98. cauſ. 17. n. 159. & ſeqq.* Carpz. *pract. crim. q. 147. à num. 1. usque ad num. 45.*

Th. X.

NObiles & in dignitate poſiti, cur mitius puniri debeant, ſecundum Tiraq. *de pœn. temp. &* Farinatz. *q. 98.* maximè in caſibus, ubi conatus pœna ordinaria vindicatur, equidem non videmus, tum quia *conſt. Carol. art. 176.* inter homines non diſtinguit, tum quia in pœnarum irrogatione, ſervatur juſtitia commutativa, & proportio Arithmetica. *l. 31. ad l. Corn. de falſ. c. 5. de pœn. in 6.* Struv. *Exercit. 1. th. 36.* tum denique, quod tanquam tales, qui virtutem præ aliis ſectari, & à vitiis abſtinere debent, potius majori animadverſione

digni ſint. *arg. l. 8. C. de epiſc. & Cler. c. 12. x. de jur ej. c. 4. cauſ. 32. q. 6.* hæcque ſententia, quod attinet pœnas uniformes, in praxi recepta eſt, per tradita Carpz. *q. 148. num. 38. & ſeqq.* Non negamus tamen, quod princeps certis ex circumſtantiis motus, vel ob ſplendorem familiæ, vel ob merita delinquentis, vel ob inſigne aliquod artificium, poſſit conanti illicita gratiam facere. *l. 31. ff. de pœn.* præſertim cum jure divino, aut naturali, certa conatui pœna, haud præfinita, verum hæc arbitrariæ ſuperiorum determinationi, relicta ſit. *add.* Tiraq. *de pœn. temp. cauſ. 49. & ſeqq*, Brunnem. *ad l. 31. de pœn.* Gail. *lib. 2, obſ. 110. n. 41.*

Th. XI.

Cauſa materialis, VErſatur conatus, tum circa actus ſeculares, tum eccleſiaſticos, illi vel ſunt civiles vel feudales, civiles alii Judiciales alii extrajudiciales, illi litem conteſtatam vel antecedunt vel ſubſequuntur; hi ſunt aut inter vivos aut mortis cauſa, ex quibus omnibus quidam ſunt liciti & indifferentes, quidam illiciti & punibiles, quæ ſingula aliquibus exemplis in ſeqq. declarantes, initium facimus ab actibus, ad judicium latè ſumptum, pertinentibus. Ubi ſciendum, quod olim privata authoritate, licitum fuerit, actori reum in jus vocare, qui etſi nunquam potuerit ab Anteſtatore obtorto collo duci, cum non ſit veriſimile, illud Romanos indiſtinctè quibuslibet conceſſiſſe, ex quo rixæ, tumultus & ſeditiones oriuntur *l. 176. de R. I. add. l. 13. quod met. cauſ. l. 7. C. und. vi.* Bachov. *ad* Treutl. *vol. 1. diſp. 4. th. 1. lit.* B. tamen vel confeſtim ire, vel ſe certo die compariturum, ſatisdare tenebatur *l. 8. qui ſatisd. cog.* excuſatur autem à pœna, qui conabatur quidem comparere, ſed vi ab alio exemptus fuit. *t. t. ne quis eum qui in jus voc. ubi ait* Duaren. *c. 1. incivile durumque videbatur, reum nulli culpæ affinem, neque ſceleris conſcium, alicujus plecti*; at inquis, vocatum in jus non eſſe immunem ob conatum, ſed ob

vio-

violentam alterius exemptionem. ℞. quod exemptio hæc, per ſe ſola non ſufficiat, docet *l. 1. §. 2. & l. 5. §. 2. ne quis eum qui in jus voc.* & quomodo is prætendere poterit, ſe vi exemptum, qui vel colluſit cum eximente, vel cui ne quidem propoſitum fuit in judicio comparere, igitur conatum ad hujus liberationem cooperari omnino dicendum eſt, quod etiam agnovit Brunnem. *ad l. 1. d. t.* dum requirit, *ire paratum.* Plus dicimus, nec eum quidem pœna edicti, *ne quis eum qui in jus &c.* teneri, qui aliquem impedire conatus eſt, ne in jus produceretur, cum nihilominus is productus ſit, quoniam verba edicti cum effectu ſunt accipienda. *l. 5. §. 2. ne quis eum qui in jus &c. l. 4. ad l. Iul. de vi priv.*

Th. XII.

SImili modo, à pœna cautioni addita *vid. l. 2. §. ult. qui ſatisd. cog.* aut ſi ea determinata non ſit, ab intereſſe vero *d. l. 2. §. ult. l. 2. §. ult. ſi quis in jus voc. non ierit. l. 81. de V. O.* immunem dicimus, qui quidem conatus eſt ad judicium venire, at per legitimum impedimentum, quod tamen ſubeſſe non præſumitur, ſed ab allegante venit probandum, aliquando, ſi æquum Judici videatur, mediante juramento. Mæv. *p. 2. deciſ. 112.* Carpz. *l. p. ſ. p. 1. conſt. 9. defin. 10. & 11.* à limine judicii detentus fuit *l. 2. §. fin.* verbis: *exceptio datur ei, qui cum ad judicium venire volebat, à magiſtratu retentus fuit. ff. ſi quis caut. jud. ſiſt. cauſ. fact.* dummodo ſciamus, in impedimentis facile removendis, debere impeditum ſufficienter de diligentia ſua docere. Zanger. *de except. p. 2. cap. 6. num. 77.* quamvis Gail. *lib. 1. obſ. 143. num. 2.* talem conatus probationem, indiſtinctè requirat *per l. 14. de re milit.* ſed textus videtur loqui, de caſu ſpeciali. *vid.* Carpz. *p. 1. defin. 9. conſt. 19.* nil verò proficit conatus (1.) ſi quis præbuit cauſam impedimento, puta reus ſe nimium arctavit, cum debuiſſet citius proficiſci, nec ad ultimum tempus differre iter. *l. 2. §. 8. ſi quis caut. in*

jud. &c. Hillig. *ad* Donell. *lib. 23. c. 9. lit.* R. item ſæviente tempeſtate mare eligens, dum terra ad judicium venire potuiſſet, non auditur *cit. l. 2. §. 8.* quibus tamen & ſimilibus caſibus, multum valebit arbitrium Judicis, qui ponderatis cauſæ circumſtantiis, quod æquum eſt, ſtatuet. *d. l. 2. §. 8.* ibi *cauſa cognita.* item *non ſemper ei exceptionem prodeſſe. ff. ſi quis caut. jud. ſiſt. cauſ. &c.* conatus (2.) non operatur effectum, ſi à privato quis detentus fuerit *l. 2. §. ult. ſi quis caut. jud. ſiſt. &c.* cum injuria uni facta, non debeat tertio præjudicare *l. 67. de fidejuſſ.* & conans contra impedientem habeat regreſſum *l. 3. ſi quis caut. ibique* Brunnem. niſi impediens fuerit actor ipſe, quo caſu reo competet exceptio *l. 1. §. 3. l. 2. de eo per quem fact. &c.* Duaren. *in comment. ad cit. tit. c. 1.* nil prodeſt (3.) niſus, ſi magiſtratus non qua talis, verum extra fines officii ſui, quendam ad judicium tendentem, detinuerit per injuriam, quia hactenus is ſimilis eſt privato, & actione ad intereſſe adverſus eum, qui detinuit, aget. *l. 3. ſi quis caut. jud. ſiſt. cauſ. &c.* Bachov. *ad πρῶτα cit. tit.* Impedimentum, quod obfuit conatui principalis, quo minus is exitum ſortiretur, non relevat (4.) fidejuſſores, ſi principalis, poſt præſtitam de judicio ſiſti cautionem, in via delinquens, incarceratus fuerit, etſi enim hic in reatu ſit, poteſt tamen adhuc ſub cuſtodia præſentari. *l. 4. §. 1. ibique* Brunnem. *ſi quis caut. jud. ſiſt. &c.*

Th. XIII.

EX prædictis infero [1.] eum, qui juratoriam Cautionem præſtitit, perjurum non fieri, caſu, quo paratus quidem fuit ad judicium venire, ſed non vano rumore territus, ſe incarcerandū, emanſit *l. fin. qui ſatisd. cog.* quia Judex, accipiens juramentum, ſecuritatem reo promiſiſſe cenſetur, ſuam autem promiſſionē violans, fruſtra ab alio fidem exſpectat *arg. l. 37. §. 1. de min.* ita ſe reſpondiſſe fatetur Brunn. *ad cit. l. fin.* ſine dubio aliud reſponſurus, ſi voluntas jurantis comparendi

nun-

nunquam adfuiſſet. Infero (2.) quod ſi conanti, abſque juſta cauſa, denegetur ſalvus conductus, vel fides publica, non teneatur citatus comparere, neque emanens in pœnam contumaciæ cadat. *arg. conſt. crim. art. 77. & 156. Receſſ. Imp. de anno 1521.* Mæv. *p. 3. deciſ. 82.* Carpz. *pract. crim. q. 112.* In iis, quæ poſt litem conteſtatam fiunt, veſtigia conatus quoque reperimus, offerens enim interrogatoria, ut ſuper iis æquè ac articulis teſtes examinentur, ſi ea vel non acceptentur, vel teſtes ad ea examinati non fuerint, nulliter proceditur, iis verò non oblatis examen ſubſiſtit, eo quod Judex teſtes ex officio non teneatur interrogare, quamvis volens poſſit & rectè faciat. Gail. *lib. 1. obſ. 95. n. 7.* Hahn. *ad tit. de teſt. num. 4.*

Th. XIV.

CAuſæ meritis hinc inde exactè ponderatis, certam Judex ferre tenetur ſententiam §. *32. I. de act. l. 3. & ult. C. de ſentent. quæ ſin. cert. quant.* ponamus autem, utrinque æquè prægnantes, juris æquitatisque, militare rationes, remque adeo eſſe intricatam, ut etiamſi Judex ſæpius conatus fuerit, tamen ob paritatem circumſtantiarum, cuinam eam potius adjudicet, haud ſciat; exemplum ponit Zaſ. *in l. 2. §. ex his n. 12. de V. O.* quid hic faciendum? In diverſum abeunt Interpr. alii locum faciunt gratificationi, & admittunt caſus pro amico, ſed rectè revelluntur à Treutl. *vol. 1. diſp. 1. th. 1. lit. B.* eo, quod cum non ſit, niſi unum verum, ita nec niſi unum juſtum, reſpectu ejusdum ſubjecti, & ſacra ſcriptura, damnet reſpectum perſonarum, in judiciis *Levit. 19. v. 15. Deuter. 1. v. 17. Deuter. 16. v. 19.* unde illud: *caſus pro amico ſunt caſus pro diabolo*; alii ad ſortem recurrunt *arg. l. ſi quæ ſunt cautiones 5. ff. famil. herciſc. l. ſed cum ambo 14. ff. de judic. l. ult. C. comm. de legat. §. optionis I. de legat.* at in quæſtionibus facti, qualis *v. g. eſt, uter primogenitus, uter poſſeſſor ſit*, nunquam ſorti lo-

 cum

cum eſſe ſcimus *l. 30. de teſtam. tut.* Cynus *in l. fin. C. comm. de legat.* alii, talem Judicem, officium ſuum deponere poſſe ſtatuunt, ſi modo juraverit, ſibi de cauſæ juſtitia, non liquere *l. 13. §. ult. de recept. qui arbitr.* Sed præterquam, quod textus allegatus id non dicat, verũ ulterius ſaltem cognoſcendi ſpatium largiatur, præberetur enim per hoc ſcandalum publicum, dareturque anſa contendentibus ad arma veniendi, contra *l. 13. §. 3. de uſufr.* Donell. *lib. 26. comment. jur. civ. c. 1. lit.* E. *ibiq;* Hillig. Brunnem. *ad cit. l. 13. §. ult. de recept. qui arb.* alii, partes ad amicabilem compoſitionem, cogendas eſſe, docent, verum tentanda & ſuadenda quidem, non verò imperanda eſt concordia *l. 3. §. 1. l. 13. §. 2. de recept. qui arb. c. 15. X. de ſimon.* niſi in caſibus expreſſis à Carpz. *1. p. ſ. p. 1 conſtit. 1.* defin. *11.* alii demum, quod placet, rem inter litigantes dividendam eſſe aſſerunt, cum in dubio illud eligendum ſit, quod utrique litigantium in minimo nocet. *arg. §. fin. de vulg. & pup. ſubſt. c. afferte 2. X. de præſumt. l. 26. de teſtam. tut.* & media via ſit tutiſſima, *arg. §. 25. de R. D. vid.* Treutl. *all. loc. ibique* Bachov. Struv. *Exercit. 2. th. ult.*

Th. XV.

EST & illud jure certum, ſententiam debere eſſe actis congruam *l. 6. §. veritas 1. ff. de off. præſid.* finge autem, ſcientiam Judicis probatis eſſe contrariam, quid agendum? R. convenire Judici, ut omnibus viribus conetur (*maximè ſi ſubſit cauſa capitalis*) quo vel reddat teſtes ſuſpectos, vel ſin hoc efficere nequeat, deponat officium & induat perſonam teſtis, ſi nec hoc ei concedatur, allaborabit ut tutò fugam capeſſat reus, quod ſi verò hos conatus in effectum deducere nequeat, an tunc innocentem condemnabit? Sed hoc eſt facere intrinſecè malum, igitur potius conſulat propriæ conſcientiæ, quam, ſequendo teſtium atteſtationes, ſeſe in periculum animæ conſtituat, nam diſtinctio vulgaris, inter ſcientiam publi-

cam & privatam, in jure non fundatur, *& c. paſtoralis 28.* §. *quia verò X. de off. deleg.* non loquitur de ordinario, ſed ſalſaltem de Judice delegato, qui cum fungatur Jurisdictione alterius *t. t. de off. ejus cui mand. &c.* poteſt ſententiam à delegante latam, quamvis ſibi de innocentia conſtet, tutò exequi. *add.* Vinn. *ad pr. I. de offic. Iud.* Zoeſ. *ad ff. in tit. de Iud. n. 48. & ſeqq.* licet & ego facilè conceſſerim, hunc delegatum melius facere ſe abſtinendo, quia videtur ſaltem indirectè ad necem innocentis cooperari, quod licitum non eſt, per ea quæ in ſimili tradit Hermann. Conring. *tractat. de pac. perpetuò proteſt. dand. ſect. 1. hypoth. 1.*

Th. XVI.

IN cauſis extrajudicialibus, ſive contractus, ſive actus ſint, materiæ quoque hujus veſtigia reperire licet, omne enim imperfectum, *ut ſup. th. 1.* inſinuavimus, conatum tractatum *l. 1. §. 10. de extraord. cognit.* præfationem *l. 134. §. 1. de V. O.* nuncupamus, qua de re hæc regula obſervetur, ſive partes de ineundo contractu conſentiant, nec tamen actu contrahant, ſive contractus ille non ſubſiſtat, vel imperfectus ſit, ex hoc conſenſu & partium conatu, neque naturali, neque civili ratione ullum jus, ac ne exceptio quidem naſcitur, imperfectum enim negotium, ſine dubio nullum eſt §. *7. quib. mod. teſtam. inf.* Gloſſa *in c. pen. X. de Cleric. non reſident.* & nihil actum creditur, dum aliquid agendum ſupereſt, *l. pen. inf. C. de his quib ut ind. l. 6. qui ſatisd. cog.* cum ea ſit natura negotiorum, ut quamvis, per plurimos actus dieſque trahantur, ex illo tamen momento valeant, quo negotium perficitur, nec ante actorum habeatur conſideratio, niſi quatenus conſenſus quoque, in ultimo momento completionis, durat. Conveniat igitur (1.) inter contrahentes, ſive expreſsè ſive tacitè *vid.* Vinn. *in pr. I. de emt. vend.* Sichard. *in l. 17. n. 3. C. de fid. inſtrum.* de emtione venditione in ſcriptis celebranda,

da, etſi conſenſerint ſuper merce & pretio partes, donec tamen aliquid ſcripturæ deeſt, ſolus conatus, ex quo nec actio, ne quidem ad id quod intereſt, nec exceptio datur §. *1. I. de emt. vend. l. 17. C. de fid. inſtr.* negotium ſiquidem, ex quo partes obligari voluerunt, non pactio non nuda emtio fuit, verum ſcripto facta conventio, ante cujus perfectionem, absque metu pœnæ, locus erit pœnitentiæ, eo ſaltem obſervato, quod ſi arrha intervenerit, tunc is, qui recuſat adimplere inſtitutam emtionem, ſiquidem eſt emtor, perdit quod dedit, ſi verò venditor, duplum reſtituere compellendus eſt, licet ſuper arrhis nihil conventum. *d. text. ibique* DD. communiter. Hæc eadem lance ad alias materias, videlicet permutationem, transactionem, donationem 500. ſolidos non excedentem, extendi queunt. *cit. l. 17. C. de fid. inſtrum.*

Th. XVII.

SAnè ſi quis rem, ſpe futuræ perfectionis, tradiderit, etiamſi contractus nunquam in eſſe ſuum deductus fuerit, dominium tamen in eum, cui traditio facta, translatum eſſe DD. arbitrantur, eo, quod titulus putativus, ad translationem dominii proſit *l. 10. C. de reſcind. vend. l. 7. de dol. mal. l. 3. §. 8. de cond. cauſ. dat. &c.* Bachov. *ad* πρῶτα *tit. de dol. mal. c. 2.* Vinn. *ſelect. jur. quæſt. c. 11.* & traditio hic non ſubſit nuda ſpe, ſed ſaltem re, adeoque effectus traditionis, nimirum dominii translatio, neceſſario ſubſequatur. *per l. 7. §. fin. l. 8. de jur. dot. l. 31. de a. r. d* ita Sichard. *in l. 17. C. de fid. inſtr. num. 6. ibidemque* Cynus, Tiraq. *de retract. convent.* §. *7.* Gloſſa *2. num. 69. & ſeqq.* Verum, utut in caſibus, quibus ad dominii translationem, præter titulum verè vel præſumptivè juſtum, & traditionem nihil requiritur, ſententiam modo poſitam veriſſimam arbitremur, tamen in emtione venditione tutò eam fortè non ſequemur, quia ad id, ut ex hoc contractu dominium in alium tranſeat, non nuda

traditio ex juſta vel cauſa putativa ſufficit,ſed inſuper, ut fides de pretio habeatur,aut pretium revera exſolutum ſit,jura deſiderant. §.*41. I.de R. D. l.19. de contr. emt.* quorum utrumque in præſenti caſu, quo contrahentes emtionem venditionem perficere conati fuerunt,ſed non perfecerunt,deficit, hoc ut ſuppono, illud quia ex ſola traditione concludendum non eſt, venditorem actori fidem de pretio habuiſſe. *all. l.19. de contr. emt.* §. *41. I. de R. D. ibique* Bach. Weſenb. *&* Vinn. atque pro hac opinione, quam teſte Sichardo *lit. l.* propugnavit olim Bulgar. videntur facere verba *l. 17.* ibi *: nondum impleta ſcriptura, nullum jus oriri partibus. C. de fid. inſtr.* quicquid ſit,ſi tradens Dominus non fuerit, ne quidem uſucapiendi conditionem in alium, per nudam traditionem transferre poterit,exularet enim poſitiva b.f. deficeret inſuper titulus, cum contractus imperfectus ſit, ſine quibus tamen non procedit uſucapio *pr. I. de uſuc.* & hoc verum eſt, qualiscunque demum contractus vel actus, ad dominium tamen alias transferendum habilis, futurus ſperetur. *arg.* §. *10. I. de uſuc.* & parificatio, inter Dominum & non Dominum *juxta l. 74. de contrah. emt.* procedit, ubi titulus perfectus ſubeſt, non verò ubi ejus defectus reperitur. *vid.* Gloſſ. *in d. l. 17. C. de fid. inſtr.*

Th. XVIII.

PErinde autem eſt, ſive conatus ad actum remotum, puta, quod *v.g. quidem tractaverint ſuper pretio,ſed ejus nomine convenire nequeant*, ſive proximum *e.g. quod quidem pretium determinatum fuerit,ſed vel ſcriptura necdum intervenerit, vel ea necdum mundata fuerit*, quoties enim aliquid deeſt actui ſecundo,toties ex tractatibus nullus producitur effectus. *pr. I.* ibi *: donec aliquid deeſt &c. de emt. vend. l. pen. inf. C. de his quib. ut ind.* quid autem, ſi pactum intervenerit de contrahendo, & altera pars in perficiendo moram commiſerit, anne tunc

ſaltem, de jure Canon. quo illud efficax eſt, ad producendam actionem *c. 1. & 2. X. de pact.* ad intereſſe agi poterit? videtur quod ſic, per regulam *l. 24. de cond. & demonſtr. l. 50. de contr. emt. vid.* Sichard. *in l. 17. C. de fid. inſtrum.* verum præterquam, quod textus *in pr. I. de emt. vend. d. l. 17.* generales ſint, & indiſtinctè, ſive pactum de contrahendo præceſſerit, ſive non, licitam permittant pœnitentiam, negari nequit, ex intentione & ſola partium conventione, negotia contrahentium ſubſiſtere. *l. 3. §. 1. de O. & A.* adeoque alia pactionum ſpecie, quam ex qua ſe obligare voluerunt, teneri nequeunt, proinde ſi ipſis propoſitum fuit emere vel permutare, ex ſola emtione & permutatione, non ex alio pacto rectè conveniuntur. *l. 1. §. 4. de conſt. pecun. l. 7. §. 10. de pact.* & quamvis ex pactis, de jure civili exceptio, de jure Canon. & moribus actio oriatur, id tamen nullatenus videtur extendendum ad pacta de contrahendo, quæ nomen veri pacti non merentur, ſed tractatus & initia contractus nuncupantur, alias enim ſequeretur, partes hoc ipſo quo ad contrahendum procedunt, quaſi pacto per conſenſum valido jam obligari, ut contractum perficiant, & ita tractatus ſemel cœpti, nunquam abrumpi poſſent, quo tamen dictu nihil abſurdius eſt; ſanè ſi appareat (*quod tamen non præſumitur*) partes ante contractus perfectionem, ſe quoque obligare voluiſſe, puta quod quantitas futuræ venditionis expreſſa, pactumve mediante jurejurando confirmatum fuerit, quin tunc ad id quod intereſt agi queat, nullus dubito, per ea quæ tradit Berlich. *deciſ. 143. & 144.* verba autem, conventionis inibi propoſitæ, quoniam faciunt ad illuſtrandam hanc materiam, lubet adſcribere, ſic enim memoratus Author: Habt ihr / und euer Weib am 31. Jan. des 1621. Jahrs / mit Philipp Land-Graffen / eine Vergleichung auffgerichtet / und euch gegen denſelben dahin Eydlich verpflichtet / daß ihr ihme von dato

dato eines halben Jahrs friſt / oder auch eher da es ihme Landgraffen gefällig ſeyn würde / euer Hauß und Hof/ wie er es bißhero beſeſſen/und durch euer Ehe-Weib auffs neue erkaufft worden / uff und vor 19500. Gl. richtiger Kauff-Summe/gewiß und unfehlbahr Kauffsweiſe hinwieder überlaſſen wollet. ꝛc. *add.* Tiraq. *de retract. conv.* §. 7. Gloſſa *2. n. 42. & ſeqq.*

Th. XIX.

EX quibus omnibus, ſole clarius pateſcit, toties ſubeſſe conatum, quoties conſenſus partium in unum necdum cojit, vel aliquid ex ſubſtantialibus conventionis deeſt. *arg. l. 1. §. 3. de pact. l. 2. §. 1. de O. & A.* igitur cum in donatione, non ſufficiat voluntas donantis, ſed inſuper requiratur acceptatio *l. 55. de O. & A. l. 10. ff. & l. 26. C. de donat.* ante eam nulla obligatio naſcitur, ſed revocatio licita eſt. *l. 38. de acq. vel amit. poſſ.* neque ſubſiſtit acceptatio poſt mortem donantis, in præjudicium hæredis, uniri enim debuit conſenſus partium in vita. Zoeſ. *in Comment. ad ff. tit. de donat. n. 36.* fallunt prædicta *(1.)* in pia cauſa, ubi Deus ſemper videtur acceptare *l. 15. C. de SS. Eccleſ.* Brunnem. *ad l. 10. de donat.* (2.) ſi mediante jurejurando, corroboratio actus facta fuerit *arg. c. 28. X. de jurej.* Seraph. de Seraph. *de privil. juram. privil. 72. n. 2.* (3.) ſi fiat debiti remiſſio *l. 23. & 53. de ſolut.* jura enim ſunt proniora ad liberandum, quam ad obligandum *l. 47. de O. & A.* Struv. *Exerc. 40. th. 8.* plures exceptiones lege ſis apud Carpzov. *lib. 5. reſponſ. 62.* eodem modo, quoties duo, de re certa emenda vel permutanda tractarunt, & re infecta ab invicem diſceſſerunt, poſtmodum autem alter per literas declaravit, ſibi nunc de quo antea convenire non potuerunt, placere, ſed antequam literæ acceptatæ fuerint, mortuus ſit, ſolus conatus ad obligandum non verò obligatio eſt, quia unitus non fuit utriusque conſenſus, nec amplius, utpote altero non exiſten-

 te,

. te uniri poteſt. *l.1. §.3. de pact.* Tuſch. *tom.5. verb. literas. concluſ.374. n.24. & 25.* Struv. *Exerc. 6. th.33.*

Th. XX.

PRo conatu quoque illud reputatur, quod ob inhabilitatem perſonæ, per ſe conſentire non valentis, in actum ſecundum deduci nequit; ſic *v.g. promiſſio de nubendo*, à filiofam. puellæ absque patris conſenſu facta, merum tractatum, imo nullitatem inducit, adeoque nec ea, quantumvis copula carnalis intervenerit, obligatoria dici poteſt. *pr. 1. de nupt. l.2. de rit. nupt. l.11. de ſtat. hom.* plus dico, quamvis benedictio ſacerdotalis ſupervenerit, eam tamen nihil operari, nam veriſſimè JCti Marburg. *conſil. 2. vol. 4.* inquiunt: *non dicitur in S. Scriptura, qui conjuncti ſunt eos non ſeparet homo, ſed additur quos Deus conjunxit, eos autē Deus conjunxit, qui ſecundū præcepta legum, & conſenſum parentum contrahunt nuptias, quia leges ſunt ordinationes Dei. Rom. 13. qui autem contra legum ordinationem, invitis parentibus coëunt, eos Sathan conjungit;* à quo etiam non omnino videntur abhorrere, canones ſaltem vetuſtiores. *vid. can. 1. can. noſtrates c.30. q.5.* quorum primus teſte Chemnit. *2. p. exam. conſ. Trident. tit. de clandeſt. matrim.* eſt latus, circa ann. 100. à Chriſto nato. *add can. non omnis c. honorantur c. mulier c. fin. cauſa 32. q. 2. c. fin. X. de rapt.*

Th. XXI.

MUlto minus itaque verba amatoria: *v.g.* Du biſt mein allerliebſtes / und eigenes Hertz auff dieſer Welt. item ich will dich nicht verlaſſen. Nec non: Du biſt mein du ſolt mein ſeyn / du gefälſt mir allein vor allen / du biſt mein Hertzen Kind / ꝛc. à quibuscunque demum perſonis prolata, inducunt matrimonium, quoniam hæc & ſimilia, nudam ſaltem animi affectionem, erga alium declarant, & de aliis rebus, quam de matrimonio intelligi poſſunt. Ejusdem

farinæ

farinæ ſunt hæc: **Ich ſorge uns möge niemand ſcheiden den der Todt/** item: **wo ich Heurahten ſolte/wolte ich keine andere nehmen den Euch.** Nec non: **Es kan einmahl geſchehen/ daß wir zwey/ ein Leib und ein Seel werden.** Et ſi quæ ſunt ſimiles Germanis uſitatæ loquelæ, quibus ſuaves amantium aures, ſæpius vano conatu demulcentur, nam conſenſus, in ordine ad nuptias, ex his nullatenus clarè & diſtinctè, pro ut tamen de jure requiritur *arg. l. 30. de R. I.* deduci valet. Cothm, *reſp. 86. n. 7.* imo obligatio dependet ex apponẽtis arbitrio, cujusmodi meritò reprobatur. *l. 13. C. de contr. emt.* In prædictis tamẽ, & aliis loquendi formulis, mens proferentis ex tractatu, ſi quis præceſſerit, an ſeria an jocoſa ſit *vid. l. 3. §. 3. de injur. l. 3. de ſerv. corrupt.* venit dignoſcenda, aliquando etiam, præſertim aliis adminiculis concurrentibus, poterit ex his pro matrimonio concludi, cautè tamen circumſpectus Judex, ne verbis amatoriis nimium tribuat, proſpicere & ponderare debet, quod ſcribunt Marburg. *conſ. 2. vol. 4.* ibi: ***nec ad rem eſt, inutiliter diſputare de verbis commentitiis, quæ inter amantes ad eliciendum animum ſolent tractari, quia ſicut non omnia colloquia, ſtatim referunt ſtipulationem ſine forma juris, ita multo minus amatoriæ pollicitationes, faciunt matrimonium. c. 7 ua nos duxit, in fin. de ſponſ. & matr.*** qua de re latius videri poſſunt Cypr. *de ſponſ. § 12. per tot.* Covarr. *thom. 1. de matr. p. 2. c. 4. §. 1. n. 1. & ſeqq.* Tiraq. *de retract. conv. tom. 4. §. 7. ad fin. tit.* Gloſſ. 2. ubi inter alia docet, ex verbis *promitto quod te deſponſabo*, ſeu *in ſponſam te habebo*, neque matrimonium, neque ſponſalia de futuro oriri; quod ego aliis dijudicandum relinquo. Illud ſaltem in præſentiarum addens, ex annulo pronubo per ſe ſolo, aliis conjecturis deficientibus, matrimonium ne quidem præſumptivè demonſtrari. *c. noſtrates 3. c. 30. q. 5. & c. fœmina 7. eod.* cum ſubarrhatio, denotet æquè contractum adhuc perficiendum ac perfectum. *pr. I. de emt.*

 vend.

Struv. *Exercit.32. th.16.* Ampl. (3.) ut ne quidem Princeps, ex tali diſpoſitione quicquam capere poſſit *l.3. C. de teſtam.* etſi enim legibus, tam quoad vim coactivam, quã directivam ſolutus ſit, legibus tamen vivit *§. fin. I. quib. mod. teſtam. inf. l.3. C. de teſtam.* Duaren. *ad tit. qui teſtam. fac. poſ. cap. de eff. ſolemn. obſerv.* imo hoc in caſu niſi in legem naturalem, quæ vult, nemini jus ſuum auferendum eſſe, impingere velit, nullo jure quicquam prætendere valet. Struv. *Exerc.2. th. 8. & 9.* Ampl. [4.] ut, quod modum conandi attinet, procedat memorata regula, ſive conatus ſit in potentia remota ſive proxima, quia quoties aliquid deeſt omnimodæ perfectioni, toties actum ſecundum revera adeſſe, dici nequit *l. 21. §. ex imperfecto C. de teſtam. l. 25. ff. qui teſt. fac. poſſ.* pone igitur, teſtamentum aliquem confeciſſe, ſed non adhibuiſſe legitimum teſtium numerum, vel adhibuiſſe quidem, ſed eos non eſſe rogatos, in ſumma, minimam ſolemnitatem de jure requiſitam, in eo deſiderari, conatus irritus eſt, nec teſtamentum dicetur. *l.21. §.1 C. de teſtam.* imo etiamſi omnia Codicilli eſſentialia, in tali diſpoſitione numerarentur, non tamen ea valebitur Codicillus, cum animus teſtandi, non Codicillos faciendi adfuerit *l. 1. de jur. Codicill.* & qui teſtatur, codicillos perficere non præſumitur, quia planè diverſæ ſpecies ſunt. *l.7. C. de codicill. l.41. §.3. de vulg. ſubſt.* Zepp. *de codic. c.2. n.16.* Duaren. *ad tit. qui teſtam fac. poſſ. c. de eff. ſolemn. ſerv.* unde, niſi clauſula codicillaris expreſsè fuerit adjecta, tale teſtamentum imperfectum, ratione ſolemnitatis, tanquam Codicillus valere nequit *l. 29. §. 1. qui teſt. fac. poſ.* & vix admiſſum eſt ex ſingulari privilegio, teſtamentum militis jure militari valere, ſi is deſtinaverat jure communi teſtari. *l.3. de teſtam. mil.* Brunnem. *ad l. 1. de Iur. Codic. & ad cit. l.3.*

Th. XXIV.

QUod de teſtamento militis diximus, in eo imperfectionem ſolemnitatis non inſpici, id quoque ad diſpoſitionem inter liberos, & pias cauſas extendunt DD. ut ſemper clauſula, *omni meliore modo*, tacitè ſubintelligatur *per l. ult. C. fam. erciſc. l. 21. §. ex imperfecto C. de teſtam.* Hillig. *ad* Donell. *l. 7. c. 18. lit.* B. Mantic. *de conject ultim. volunt. lib. 1. tit. 9.* Hartman. Piſtoris *p. 4. q. 9. n. 19.* hinc, ſi quis in ſchedula voluntatem ſuam expreſſerit inter liberos, vel aliquid reliquerit piæ cauſæ, poſtmodum ea de re ſolemne teſtamentum facturus, ſed morte præventus abſolvere id nequiverit, ſuſtinebitur tamen ſcriptura, ſi de manu teſtatoris conſtet (*quæ quomodo probetur vid.* Sichard. *ad auth. quod ſine C. de teſtam. n. 2.*) nam ſi præſentem mortem ſciviſſet, eum potius jure privilegiato, quam communi teſtari voluiſſe, præſumendum eſt. *d. text. & l. 3. de teſtam. mil. ubi* Brunnem. *add. c. cum. eſſes. & c. relatum X. de teſtam.* Mæv. *p. 2. deciſ. 333.* quod ſaltem procedit, ſi ſchedula non diu ante mortem præparata fuerit, quia tunc ſaltem per conſequentiam, jure privilegiato cenſebitur teſtatus *d. l. 3.* quod ſi verò defunctus, hanc Schedulam diu penes ſe paratam habuerit, non valebit ea ut teſtamentum ſolemne, ob defectum ſolemnitatum, neque ut diſpoſitio inter liberos, quia ſolemniter teſtari voluit, adeoque meritò ſubintrat regula *l. 3. de reb. dub.* quod voluit non fecit, & quod fecit noluit. Mæv. *p. 2. deciſ. 133.* Brunnem. *ad l. 25. qui teſtam. fac. poſſ.* JCti Marburg. *vol. 4 conſ. 35. n. 77. & 78.* Eodem modo, irritam inter liberos patris voluntatem dicimus, ſi is omiſerit annum, menſem & diem, ſi notis & Zifris non intelligibilibus eam conſcripſerit, vel demum aliquid deſideretur, quod ad validitatem hujus diſpoſitionis requiritur, eſt enim hominis voluntas, ad extremum vitæ ſpiritum ambulatoria *l. 1. C. de SS. Eccleſ. l. 4. de adim. vel transf. leg.* adeoque omnimodo

neceſſe eſt de tempore conſtare, ad dignoſcendum quæ voluntas poſtrema ſit. *l. omnium. C. de teſtam. ita* Vultej. *vol. 4. conſ. 35. n. 58.*

Th. XXV.

NOlim tamen propterea, quod publicatio Schedæ, poſt mortem patris inventæ, facta non fuerit, diſpoſitionem ejus, vel ratione voluntatis, vel ſolemnitatis imperfectam pronunciare, nam quod voluit id ut ſuppono expreſſit, imo id conſtituiſſe tam diu præſumitur, donec contrarium demonſtretur *l. 25. ibi: ſi conſtaret. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* cum nemo plus videatur habere in corde, quam ore expreſſit. Dauth. & Brunneman. *ad cit. l. 25.* Gœddeus *vol. 3. conſ. 27. n. 20. & ſeqq.* neque defectus eſt in ſolemnitate, quia ſola ſcriptura patris, etiam nullis teſtibus præſentibus facta, ut teſtamentum ſubſiſtit. *auth. quod ſine. ibique omnes DD. C. de teſtam. nov. 107. c. 1. & 2. add.* Zaſ. *conſ. 6. n. 25. vol. 1.* Idem dicendum, quando teſtator, duobus teſtibus præſentibus, ſuam dictavit voluntatem, eamque abſolvit, ante prælectionem autem mortuus fuit, publicatio etenim ad teſtamentum inter liberos, vel ad pias cauſas nullibi requiritur. *vid. l. 21. §. 1. & ſubjectam ibi auth. quod ſine C. de teſtam. nov. 107. c. 2. c. cum eſſes X. de teſtam.* & eſt ſolemnitas juris civilis, ad evitandas fraudes, adinventa *l. 8. C. de teſtam.* ſed in his teſtamentis neque ſolemnitas deſideratur *d. text.* neque fraus metuenda, cum teſtes de voluntate teſtatoris deponere queant, demum cum publicatio ad probationem non requiratur, fruſtra de ejus ſolemnitate quærimus; latius hæc perſequitur Frider. Mindan. *conſult. ſaxon. lib. 3. q. 20. num. 7. & ſeqq.* Covarruv. *in c. relatum X. de teſtam. n. 18. & 19.* ubi inter alia inquit, non valere hanc argumentationem, Teſtator Notarium ad teſtamentum ſcribendum vocavit, ergo nececeſſariò ſcripturā ita exegit, ut aliter teſtari noluerit, nam ea procedit, ubi ex certis quibuſdam conjecturis vel expreſsè conſtat, hanc fuiſ-

ſe voluntatem teſtatoris , non aliter teſtari nec perfectum cenſeri teſtamentum, quam per ſcripturam à Notario, in forma publica confectam, ordinatam & prælectam. *add.* Bartol. *ad l. fideicommiſſa 11. §. 1. de legat. 3.* Brunnem. *ad l. 25. qui teſt. fac. poſſ.* Sichard. *ad l. 8. C. de teſtam.*

Th. XXVI.

HÆc exempli loco, de conatu ſolemnitatis retuliſſe ſufficiat, declarando nunc eandem materiam, in imperfectione voluntatis, pone (1.) quidam ſe teſtari, hæredesq; tam in primo inſt-quã in ſecundo gradu ſubſtituere velle intendit, & cum in finem cœpit teſtamentum, primosque hæredes nominavit, poſtmodũ in deliriũ cadit aut moritur, quæro an nominati poſſint hæreditatem petere? Id omnino affirmandum videbatur, quoniam omiſſis, non verò etiam expreſſis defectus obeſſe debet. *l. 29. C. de teſtam.* ſed negativa placuit Imperatori, in *l. 25. & 29. qui teſtam. fac. poſſ.* cum talis diſpoſitio ſit imperfecta ratione voluntatis, adeóque nulla; & rectè Dauth. *ad cit. ll.* inquit: *omnium actuum humanorum duo ſunt principia, voluntas & facultas, quorum concurſu omnia fiunt, & altero deficiente nihil fit*; & quid ni id dicimus? fortè enim, ſi licuiſſet Teſtatori voluntatem ſuam abſolvere, adjeciſſet primis conditionem, vel planè voluntatem ſuam mutaſſet. *arg. pr. I. de ademt. legat.* ergo nec ſcripti vel nuncupati, jus aliquod ſibi prætendere queunt, non movet etiam in contrarium *all. l. 29. C. de teſtam.* ibi enim non fuit defectus ratione voluntatis, quippe quam teſtator penitus declaraverat, ſed ratione formæ alicujus extrinſecæ, adeoque ejus omiſſio nocet ſaltem ipſi, in cujus perſona defectus is reperitur; fusè Duaren. *ad tit. qui teſtam. fac. poſſ. rubr. de effect. ſolemn. ſerv.* Item (2.) totam diſpoſitionem irritam eſſe ſtatuimus, quando teſtator voluit adſcribere conditionem nec adſcripſit, ſi nimirum loquamur de conditione, per quam quis volebat ſucceſſionem

im-

imminuere, alias ejus omiſſio non obeſt teſtamento, *l. pen. C. de inſt. & ſubſt.* Menoch. *lib. 4. præſumt. 5. n. 6.*

Th. XXVII.

AMpliamus idem (3) etiamſi tantum defectus voluntatis fuerit, ratione legatorum, puta poſt abſolutam hæredis inſtitutionem, voluit aliquis legata relinquere, ſed antequam hoc efficeret, inſanit aut humana patitur, omnis evacuata erit diſpoſitio, adeo, ut ea ne quidem valeat jure fideicommiſſi *l. 11. §. 1. de leg. 3.* eſt enim teſtamentum res individua, ab ultimo puncto completionis dependens *l furioſum 9. C. qui teſtam. fac. poſſ.* etſi enim hæredis inſtitutio ſubſtantiam, legata autem, fideicommiſſa, tutorum dationes & ſubſtitutiones, teſtamenti accidentia conſtituant, quæ ſine interitu rei adeſſe vel abeſſe poſſunt, ne utile per inutile vitietur *l. 1. §. 5. in f. de V. O.* tamen id ſaltem verum arbitramur, ſi ſermo ſit de teſtamento in facto eſſe, non verò in fieri conſiderato, prout id plenius declarat Gœdd. *vol 3.* Marburg. *conſil. 27. n. 6. & ſeqq.* quod tamen ſecundum eundem *n. 50 & ſeqq.* notabiliter limitandum in caſu, quo teſtator diu ſupervixiſſet, & nihil ulterius diſpoſuiſſet, cenſebitur enim tunc eum, illius deſtinationis pœnituiſſe. *add.* Menoch. *lib. 4. præſumt. 5. n. 5.* Ampl. (4) non valere diſpoſitionem, quantumvis clauſula codicillaris fuerit adjecta *l. 11. §. 1. de legat. 3. ibique* DD. nec enim ſufficit, fuiſſe cogitatum, aut tractatum, niſi id omne perfectum eſſe probetur *l. ſi voluntate 8 C. de reſcind. vend.* Vultej. *vol. 3. conſ. 29. n. 127. & conſ. 35. n. 61.* Gœdd. *vol. 3. conſ. 27 n. 4.* Dauth. *ad l. 25. qui teſtam. fac. poſſ n. 5.* Ampl. (5.) in teſtamento inter liberos, v. g. pater, cum cœpiſſet ordinare ſuam voluntatem, partemque adſcripſerat filio primo, volens etiam reliquis ſuas portiones aſſignare, in furorem incidit vel morte interceptus, non valet quod diſpoſuit *l. 29. qui teſtam. fac. poſ.* cum alias manifeſta reliquis liberis inferretur

retur injuria, qui, quod pater etiam ipſis relicturus fuiſſet, non acciperent. Bach. *ad* Treutl. *vol. 2. diſp. 10. th. 6. lit. I.* Salicet. *ad l. ult. C. famil. herciſc.* Dauth. *all. loc.* Sichard. *ad l. 21. §. ex imperfecto. C. de teſtam. n. 2.*

Th. XXVIII.

AMpl. (6.) in teſtamento ad pias cauſas, quicquid ſtatuat Tiraq. *de privil. piæ cauſ. privil. 7.* Covarr. *in c. relatum c. 11. n. 14.* eo quod inconveniens videatur, hoc in caſu, abs que legis expreſſæ determinatione, majus privilegium concedere piæ cauſæ, quam liberis. *c. fin. cauſ. 17. q. 4.* Gloſſ. *in l. ſi quis ad declinandam 49. C. de Epiſc. & Cler.* Sichard. *in l. 21. §. ſi quis autem C. de teſtam. n. 7. & 8.* tum, quia perinde eſt nihil teſtari, ac non rectè diſponere *l. 6. qui ſatisd. cog. pr. l. de hæred. quæ ab int. &c.* JCti Marburg. *vol. 3. conſ. 29. n. 141. & ſeqq.* tum denique, quia incertum eſt ante abſolutionem voluntatis, an teſtator modo declaratam non fuiſſet revocaturus *pr. l. de ademt. leg.* hanc ſententiam ſequuntur Clar. *in §. teſtamentum q. 7.* Dauth. *ad l. 25. n. 3.* aliique ab eodem relati; plures ampliationes, videre poteris apud DD. *in l. 25. & 29. qui teſt. fac. poſſ. & l. 11. §. 1. de leg. 3. add.* Conſil. Marp. *27. & 29. vol. 3. & conſ. 35. vol. 4.* Nobis ſufficit materiam hanc ſaltem digito tetigiſſe, illud prædicto addentes, ex eo ſolo quod ſpatia, juſſu Teſtatoris à Notario relicta, ut propria manu, ſingulis legatariis portionem adſcribere queat, non vitient diſpoſitionem, etiamſi quibusdam legata adſcripta non fuerint, uti eleganter Gœdd. *integ. Conſil. 27. vol. 3.* pluribus demonſtravit. Pari modo, ut conatus nihil in conſtituendo, ita nec in revocando quicquam operatur *§. 7. quib. mod. teſtam. inf. l. 27. C. de teſtam.* hinc ſi defectus ſit, vel ratione voluntatis, vel ſolemnitatis, teſtamentum poſterius non rumpit prius, niſi hoc 5. teſtibus fuerit roboratum, in eoque hæredes ab inteſtato venientes, inſtituti reperiantur. *l. 21. §. 3. de*

teſtam.

teſtam. ibique DD. Ita quoque fruſtraneus revocandi conatus eſt, ſi quis nudis verbis, teſtamentum ante legitimè factum, revocaverit, quantumvis ſuæ revocationis addiderit rationem, *v. g. ideo revoco, quia volo decedere inteſtatus d. text.* fallit in caſu *l. 27. C. de teſtam.* de quibus ſingulis *vid.* Vinn. *ad* §. *7. I. quib. mod. teſt. inf.* Bach. *ibidem, & ad* Treutl. *vol. 2. diſp. 10. th. 7.* Struv. *Exercit. 32. th. 41. & 42.* Frider. Mind. *conſult. ſax. lib. 3. q. 9. n. 21.*

Th. XXIX.

TAntum de conatu licito, materia porro auſus illiciti, ut feliciter elucidetur, diſtinguenda veniunt delicta in publica, quæ ex legibus publicorum judiciorum deſcendunt, principaliter in læſionem reipubl. redundant, & publicè in exemplum vindicantur *pr. I. de publ. judic.* & privata, quibus ſinguli directò læduntur, quorumq; nomine, privata forenſisque actio prodita eſt. *t. t. de priv. delict.* Vinn. *ad rubr. de obl. quæ ex del.* Duaren. *ad t. ff. de privat. del.* de his initium, tranſitum dein ad publica facientes, ac utriusque notabiliores ſpecies, & quomodo in iis conatus coerceatur, paucis demonſtrantes, generalem præmittimus deciſionem, conatus ſive in actu remoto, ſive proximo conſiſtat, non pœna ordinaria, ſed regulariter extraordinaria, pro modo admiſſi, quatenus illud actui vel proximius, vel remotius eſt, punitur, juxta illud Grotii: *Injuſtitia eo major eſt, quo majus alteri damnum infertur*; ideo primum locum obtinent delicta conſummata, poſtremum quæ ad actus aliquot, ſed non ad ultimum proceſſerunt, in quibus tanto quidque eſt gravius, quo ulterius proceſſit *l. 21.* §. *7. de furt. l. 1. pr. &* §. *ult. de extr. crim.* ratio hujus conſiſtit (1.) in regula: non nocet conatus, ſi non ſequatur eventus *l. 1.* §. *ult. quod quisque jur. l. 18. de pœn.* (2.) in Conſtit. Carol. *art. 178.* verbis: Solcher böſer Wille/ darauß etliche Wercke alß obſtehet folgen/ iſt pein-

lich

ſich zu ſtraffen/aber in einem Fall härter dann in dem andern / anzeichen Gelegenheit und geſtalter Sachen ꝛc. (3) in ſumma æquitate, ſicuti enim levius eſt, conari in actu primo, quam malum in actum ſecundum deducere, ita viciſſim æquum eſt, leviori pœna in conantem, quam actualiter delinquentem, animadvertere; & demum (4.) in univerſali totius Germaniæ conſuetudine, de qua teſtantur Gilhauſ. *in arb. crim. c. 6. p. 1. §. 17.* Carpz. *prax. crim. p. 1. q. 17. n. 13. q. 21. n. 38* Menoch. *de arbitr. Jud. quæſt. c ſ 360.* Covarr. *in clem. ſi furioſus tom. 1. p. 2. rubr. de delict. & conat* Farinac. *q. 124. n. 78.* Jul. Clar. *q. 92. pract. crim.* Zieritz. Anton. Bull. *&* Matth. Steph. *ad conſt. crim. art. 178.* Berl *p. 4. concl. 24. n. 42.* Bart. Bald. *&* Cyn. *ad l. 5 C. de Epiſc. & Cler.* f ll t prædicta aſſertio, ſi lex, ſtatutum vel conſuetudo, qualis hodiè, quod attinet conatum actui proximum, in delictis atrocioribus adhuc viget, ſpecialiter pœ..a ordinaria cor antem plectat, ita præter *cit.* Struv. *Exercit. 48. th. 6.* Sichard. *ad l. 3. C. de ſerv. fugit. &* Crus. *de indic p. 1. c. 90.*

Th. XXX.

Actus remotus nobis non eſt cogitatio *l. 18. de pœn.* ſed aliquis actus extrinſecus verbi vel facti, qui percipi poteſt, & multum abeſt à fine deſtinato, *v. g. emere venenum, illud præparare &c.* ſunt actus ab occiſione remotiores; proximus dicitur, quando delinquens, quantum in ſe fuit crimen perpetravit, ſed ab aliquo exteriori impedimento impeditus fuit. *conſt. crim. art. 178. v. g. dum venenum præparatum, alteri ad bibendum quis tradidit, ſed præter intentionem ejus, mors haud ſubſecuta fuerit* vid. Carpz. *pract. crim. q. 17. n. 21.* Covarr. *in clem. ſi furioſus. rubr. de delict. & conat. n. 6.* ubi graphicè inquit: *horum equidem actuum diſtinctionem, ore oculis habere debent judices, ut in atrocioribus criminibus, pœnam ordinariam vel extraordinariam conantibus inferant, nam in ali-*

quot

quot criminibus adeo conſideranda erit eorum gravitas, ut ſufficiat conatum deductum eſſe ad priores actus, in aliis verò hoc non erit ſatis, ſed erunt neceſſarii poſteriores, quandoque nec hi ſufficient ad ordinariam pœnam.

Th. XXXI.

EX prædictis colligis (1.) conatum in furto non puniri pœna ordinaria, etiamſi quis in ipſa conſcenſione, effractione, vel etiam in domo deprehendatur, quia ſola effractio vel ædium introitio, non meretur laqueum, ſed actuale furtum. *art. 159. conſt. crim. ibique* Anton. Bull. & Zieritz. hoc autem factum contrectationis ſpecificè deſiderat *l. 19. de furt.* §. *1. l. de obl. quæ ex del.* igitur agendum erit cum tali, vel actione injuriarum, vel de vi, ſi vim in intrando adhibuerit, vel pœna extraordinaria, pro ut actus delicto vel proximior, vel remotior eſt, obtinebit *l. 1. pr. &* §. *ult. de extr. crim. l. 21.* §. 7. *de furt.* & ita expreſsè de Directariis, qui in aliena cœnacula fúrandi animo ſe dirigunt; idem eſt in Zonariis, qui in turbis & circulis, incautorum hominum loculos, ſecare conantur, deciſum reperitur *in l. 7.* ibi *furandi animo, de extraord. crim.* Struv. *Exerc. 48. th. 81.* Menoch. *de arbitr. jud. quæſt. caſ. 360. n. 62.* Carpz. *q. 79. n. 56. & ſeqq.* quod verò is ibidem addit, eum pœna ordinaria non eſſe plectendum, qui non ſimul contrectavit & abſtulit, id meo judicio rectè refutat Thab. *in racem. crim. ad art. 159. th. 23.* cum per ſolam contrectationem, ponatur hujus delicti perfectio, etiamſi non intervenerit ablatio *l. 21.* §. *ult. de furt. l. 22. eod.* ergo ponitur quoque pœna furti, nec tunc amplius ſubeſt conatus in actu proximo, ſed effectus ſeu actus ſecundus, etiamſi ad conſummationem omnimodam ablatio, ſeu ad domum perlatio deſiderari videatur; ſanè quamvis ex parte furantis delictum ſit perfectum, ſi tamen interveniat aliquid ex parte ejus, cui furatur, quod repugnat furti naturæ, nullatenus delictum poni dicemus;

mus; exemplum eſt, ſi quis putet ſe invito altero rem contrectare, cum tamen eo volente fiat. §. *8. I. de obl. quæ ex del. naſc. ibique* Vinn. *&* Bach. ſin verò voluntas Domini ſit concepta, non in ordine ad permittendum, ſed ad alterum in furto capiendum, ordinaria delicti pœna obtinebit. *d.* §. *8. l. 20. C. de furt. ubi* Brunnem. Struv. *Exerc. 48. th. 5.* Hinc ſi quis per actum verbi, ſervum ſollicitaverit ad furandum, quamvis deterior is factus non fuerit, tamen improbus attentator, pœna furti & ſervi corrupti tenetur. *l. 20. C. de furt. & ſerv. corr. ibique* Thab. *l. 1.* §. *3. ff. de ſerv. corr. d.* §. *8. ubi* Vinn. *&* Bach, quod DD. ad ſollicitatores filiorum vel filiarumfam. uxorum, famulorum &c. rectè extendunt, ut tales utili actione ſervi corrupti conveniantur, etiamſi eventus ſubſecutus non ſit, nam ut ait Cruſ. *de indic. c. 90. n. 4. magni noſtra intereſt, liberos nomen noſtrum in ævum geſturos, noſtrique memoriam ad noſtram poſteritatem perlaturos, nequitiis malisque moribus non coinquinari, indolemque eorum, improbis cupiditatibus, à bene inſtituta vitæ ratione, non diſtrahi.* Computabitur autem id quod intereſſe habiturus fuiſſet, pater, maritus aut Dominus, ſi liberi, uxor, famuli verè corrupti eſſent, habuit enim hic conatus ſaltem opinione, perverſi ſuaſoris effectum, & res peſſimi exempli eſt animos innocentium velle, corrumpere *l. 20. C. de ſerv. fugit. ibique* Brunnem. *inf.* inquit: *hic habemus exemplum, ubi conatus pro effectu punitur*; & non puto *hanc l.* per conſuetudinem, in aliis punctis à DD. allegari ſolitam, abrogatam eſſe. *add.* Schneidew. *ad* §. *in duplum I. de act. n. 8.*

Th. XXXII.

COlligis (2.) quod etſi rapinam exercentes, ſeu graſſatores [qui absque homicidio armis prædantur, & in eo differunt à latronibus *l. capitalium 28.* §. *graſſator. 10. &* §. *famoſos. de pæn.* Bodin. *lib. 6. de Republ. c. ult.*] de jure civili in

qua-

quadruplum rei ablatæ, in quo ſimplum ineſt. *pr. I. de vi bon. rapt.* ſecundum *conſt. crim.* verò *art. 226.* etiam ob rei minimæ ablationem, vulnera intervenerint ſive non, pœna gladii coerceantur, pro ut teſte Anton. Bull. *ad cit. art. 126.* tres Facultates Juridicæ, Marpurg. Rintelenſ. & Colonienſ. pronunciarunt; tamen ſi delictum fuerit ſaltem attentatum, ob hunc conatum, etiam in actu proximo conſiſtentem, pœnam ordinariam delinquenti non dictamus, quia textu deſtituimur, & in odioſis extenſionem non faciendam eſſe, ſcimus *c. odia de R. I. in 6.* ita ſentit Matth. Steph. *ad conſt. crim. art. 126.* ubi idem ſtatuit de piratis, ſecuritatem naviganti um, in mari turbantibus *l. 3. §. labeo ſcribit. ff. de inc. ruin. naufr.* Pheil. *conſil. 153.* tali conanti pœnam relegationis decrevit; quin autem multis perſonis graſſantibus, aliisque circumſtantiis concurrentibus, hujusmodi pœna, etiam usque ad mortem, exacerbari queat, cum *cit.* DD. non dubitamus. *arg. l. 16. §. fin. de pœn.*

Th. XXXIII.

COlligis (3.) quod ad fundandam actionem injuriarum, etiam ſolus conatus ſæpius ſufficiat, puta, ſi quis blando ſermone, alicujus honeſtæ fœminæ pudicitiam attentet *l. 10. l. 15. §. 20. de injur. c. ſi quis tam. 12. diſt. 1. de pœnit. q. 3.* quantumvis ex forma externa, veluti fronte, vultu, lineis rubris oculorum, eam meretricem eſſe arbitretur, talia enim ſigna naturalia quidem ſunt, ſed non per ſe mala. *arg. c. ult. cauſ. 14. q. ult.* incerta itidem planè ſunt, cum naturam indicent ſed non mentem, aſt mitius tales puniuntur, referente Gilhauſ. *arbor. jud. crim. c. 2. tit. 34. §. 3. n. 26. ex* Jaſone *in l. 1. C. de prec. Imp. off.* quod ſi quis virginem, in meretricia vèl ancillari veſte circumvagientem, attentaverit, non tenebitur, quia talis præſumitur, qualis habitu reperitur. *l. 15. §. ſi quis virgines ff. de injur.* Schneid. *ad §. 1. I. de injur. n. 21. & 22.*

item

item (2.) ſi quis conetur fidejuſſore idoneo cavere, quo, in cauſa pœnam corporis afflictivam non inferente, carceris ſqualorem evitet, nec is recipiatur, injuriarum agere poterit *l. 5. §. 1. qui ſatisd. cog.* Hering. *tract. de fidejuſſ. c. 25. n. 164.* Gilhauſ. *d. l. num. 56. & 74.* non tamen idem concedimus, ſi quis ab evidentiſſimè locuplete, fidejuſſorem ſibi dari poſtulet, opes enim fragiles & fluxæ ſunt, adeoq; potius quis ſecuritatis, quam injuriandi gratia, fidejuſſorem exegiſſe videtur, per ea quæ latè tradit Harpr. *ad §. 1. I. de injur. n. 26. & ſeqq.* porro (3.) qui ex libero ſervum facere conatur, hac actione convenitur *l. 9. 10. & 11. §. 9. de injur. l. 26. de liber. cauſ.* quod hodiè ad homines proprios, ob paritatis rationem extendimus.

Th. XXXIV.

HÆc actio naſcitur (4.) ſi quis manibus ab aliquo elevatis ſæpe territus, quaſi vapulaturus ſit, non tamen percuſſus *l. 15. §. 1. de injur. ibique* Brunnem. Damhud. *in pract. crim. c. 136. n. 13.* Illud conſtat, quod ad ſuperioritatem territorialem, ſtatuum Imperii, ſpectent quoque privilegia, quæ reſpiciunt ſecuritatem, ut omnis, qui in Burgis & Caſtellis principum, vel aliis locis immunitate Burgenſi gaudentibus, alicui vel verbales, vel reales injurias infert, reputetur tanquam pacis publicæ violator, & vel manus amputatione, vel etiam capitali pœna plectatur. Fritſch. *de palat. c. 12. n. 3.* ſed non inutilis diſquiſitionis eſt, an ſtringens ſaltem gladium, non vero tertium lædens, vel manum levans nec tamen percutiens, pacem publicam fregerit? quod omninò affirmandum (1.) per *all. l. 15. §. 1. de injur.* (2.) quia talis quoq; in contemtum principis deliquit, ejusque majeſtatem ſprevit, & [3.] praxis Imperii hanc ſententiam ſervat: **wann einer nur die Hand zum ſchlagen auffhebt / ſo iſt der Burg-Frieden gebrochen.** juxta Fritſch. *cit. loc. n. 4.* Nicol. Danckwerths *in Inſt. Iur. publ. lib. 2. tit. 15.* Pariter (5.) ſi aliquis

quis reperiat corpus exanimati inimici ſui, eique cum vivum exiſtimaret, animo occidendi caput abſcindit, quamvis ſaltem conatus ſubſit, ratione homicidii, adeoque nec ut homicida, cum deficiat corporis humani animati peremtio, puniri queat. *c. homicidium. de pœnitent. diſt. i. c. ſi homicidium c. 23. q. 5. l. 1. C. de his qui accuſare non poſ.* tenetur tamen de injuria mortuo illata. *arg. l. qui ſepulchra C. de ſepulch. viol. l. 3. §. adverſus ff. eod. Covarr. in clem. ſi furioſus. de homicid. rubr. de delict. & conat. n. 1.* demum (6.) qui pecuniam accipit, ut negotium alicui faceſſeret, quamvis calumniatus non ſit, tamen non ſaltem ut injurians, Menoch. *de arbitr. jud. quæſt. caſ. 321. n. 33.* ſed etiam ut calumniator plectitur *l. 3. §. 1. de calumn.* lex enim affectum, cum datione conjunctum, pro effectu accipit. Brunnem. *ad cit. l. n. 1.* Cruſ. *de indic. c. 90. n. 4.*

Th. XXXV.

COlligis (4.) quod quia in l. Aquilia conſideretur damnum, corpore corpori datum, actione legis Aquil. non rectè conveniatur, qui ſaltem nocere conatur, cum nulla lex, quæ conatum tanquam effectum hac in materia puniat, adduci queat. Sanè illud fatendum eſt, quod ſi culpa damnum præceſſit, etiamſi poſtmodum omnibus viribus conatus fuerit, illud præcavere, tamen ab actione hac non liberetur. *v. g. medicus qui imperitè ſecuit, vel noxia medicamenta adhibuit, ita ut ægrotus moriatur,* tenetur utili l. Aquiliæ actione, quantumvis ex poſt pœnitentia ductus, omnem operam atque diligentiam adhibuerit, quo ægrotum priſtinæ ſanitati reſtituat. *§. 7. I. ad l. Aquil. ibique* DD. Cothm. *conſ. 1. n. 318.* quod verum eſt, ſive gratuitum fuerit ejus miniſterium, ſive non *l. 7. §. fin. junc. l. 8. ad l. Aquil.* Angel. Aretin. *ad §. 7. I. ad l. Aquil.* diligenter autem venit conſiderandum, ne quod vi morbi contigit, id Medici imperitiæ aſſignetur, cum is eventus non præſtet, niſi imperitia cauſam præbuerit *l. 6. §. 7. de*

offic. præſid. nam quando medicus appoſuit, vel ordinavit bonas ſpecies Medicinæ, ſecundum infirmitatem, ſed ex aliquo non fecerunt bonam operationem, imo nocuerunt, hoc fortè proceſſit vel ex vetuſtate ſpecierum, vel quia habebant apparentiam bonarum ſpecierum, vel aromatarius minus benè compoſuit, tunc Medicus eſt excuſatus, ita *cit.* Angel. *n. 3.* rariſſimè autem hodiè Medico, de malè applicata medicina quæſtio movetur, nam errata Medicorum terra occultat, beneficia autem ſol illuſtrat. Vinn. *ad.* §. *7. I. ad l. Aquil.*

Th. XXXVI.

EOdem modo, incidit in actionem l. Aquilæ Equiſo [idem eſt in mulione] qui etiam omni conatu adhibito, ob imperitiam, equum, alteri damnum inferentem, retinere non potuit: nemo enim ſuſcipere debet, in quo intelligit vel intelligere debet, imperitiam ſuam alteri periculoſam futuram. *l. 8.* §. *1. ad l. Aquil.* §. *8. I. ad l. Aquil. ibiq;* DD. ſin verò ob infirmitatem, ſaltem inculpa erit, caſu quo alius animalia melius regere potuit *d.* §. *8. & l. 8.* §. *1. ad l. Aquil.* Sanè ſciens naturam equi, quod fortè ſit durus bucca, & nilominus ſe ei credens, indiſtinctè tenetur. *c. ſignificaſti 16. x. de homicid. vol. vel caſual.* Angel. Aretin. *in* §. *8. ad l. Aquil.* Ita denique Advocatum conatus non excuſat, qui litem intricatam ſuſcepit, ſed ob imperitiam juris eam expedire nequit, quia turpe eſt cauſas oranti, jus in quo verſatur ignorare. *l 2.* §. *43. de O. I.* & facit huc *l. 50.* §. *2.* ibi, *vel minus plenè defendit cauſam, non ſe exonerat. ff. de legat. 1.* quod multo magis procedet, ſi Advocatus ſe liti obtulit, nemo enim ſuſcipere debet cui par non eſt, nec affectatum excuſat *l. 2.* §. *ult. ſi quis caut. jud. ſiſt. cauſ. &c. vid.* Brunnem. *in l. 8. ad l. Aquil.* ubi etiam tradit, diſpoſitionem iſtius legis hodiernis moribus, in judice non adeo ſtrictè obſervari, cum munus neceſſarium ſit, alias vix reperiremus Judices, ſi exactiſſimam peritiam in iis deſidera-

rare-

raremus. Illud admonendnm, ideo exemplum de Advocato poſteriori loco eſſe allatum, quia per ejus læſionem non affertur damnum corpori, adeoque actio legis Aquil. locum non habebit, ſed ſubintrabit in factum actio ad intereſſe. *arg.* §. *ult. I. ad l. Aquil.* Fransk. *ad* §. *7 & 8. I. eod.*

Th. XXXVII.

VEniendo nunc ad delicta publica, offert ſe *in Inſt. & ff.* primo loco crimen atrociſſimum, nomine generico, Majeſtatis dictum, quod duplex eſt, perduellionis, ſi quis hoſtili animo, adverſus principis vel Reipubl. ſecuritatem aliquid moliatur. *l. 1.* §. *1. l. ult. ad l. Iul. maj. l. 5. C. eod.* & Majeſtatis in ſpecie, quando vel maledictis *vid. l. un. C. ſi quis Imper. maled.* vel factis contumelioſis Reipubl. aut principis majeſtas læditur. *l. 4.* §. *ult. l. 5. 6. 7.* §. *ult. ad l. Iul. maj.* Pœna Majeſtatis, videtur pro circumſtantia delicti fuiſſe arbitraria, & non eadem quæ perduellionis *l. ult. ad l. Iul. maj. l. 24. & 40. de pœn.* perduellionis verò crimen acerbiſſimè vindicatur, uti videre eſt ex *l. 5. C. junc. l. ult. ff. ad l. Iul. maj. conſt. crim. art. 124. ibique* Zieritz Bull. Matth. Steph. A. B. *cap. 4. add.* Carpz. *q. 41. n. 90. & ſeqq.* & pœnam hanc quo ad filios etſi duram, non tamen injuſtum arbitramur, per ea quæ tradit Brunnem. *ad cit. l. 5.* §. *1. & 2. C. ad l. Iul. maj.* Inter alia autem, quæ huic delicto ſpecialia ſunt, & ab Interpr. *in d. l. 5.* paſſim tanguntur, illud quoque non inconvenienter narratur, quod in hoc crimine conatus, æquali pœna ac effectus puniatur, per *l. 3. ff. d. l. 5. pr.* ibi: *eadem enim ſeveritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniri jura voluerunt. C. ad l. Iul. maj.* & rectè, quoniam crimen hoc omnium maximum eſt, tendens in eum, qui poſt Deum ſecundas gerit vices, & ſolo Deo minor eſt, trahitque poſt ſe non unius, ſed multorum perniciem. Quod Ampliandum procedere, ſecundum *all. legis* verba, etiamſi conatus ad actum remotum ſaltem

 per-

pervenerit, puta, mediante juramento factionem contra principem concluſerint, conjuratio etenim ſive jurata, ſive ſimplex, directiva, communicativa &c. eadem ſeveritate vindicatur. *l. 16. de pœn.* exemplum illuſtre legis apud Thuan. *p. 127.* ubi Conſiliarii Regis Galliæ, Mareſcallum Bironium læſæ Majeſt. accuſatum, & excipientem ſe nihil in ſacrum Regis caput attentaſſe, refutarunt, replicantes: *ſatis hoc eſſe, quod conſilia cum aliis, & ſermones ſeu tractatus habuiſſet*; & ita hodiè obſervari notat Farinatz. *p. 5. q. 116.* §. *4. n. 146. & ſeqq.* Covarruv. *in clem. ſi furioſus rubr. de delict. & conat. n. 7.* Menoch. *de arbitr. jud. quæſt. caſ. 360. n. 24.* Carpz. *pr. crim. q. 41.* Brunnem. *ad l. 5. C. ad l. Jul. maj.* Matth. Steph. Zieritz *ad art. 178. Clar.* §. *læſa majeſtatis, num. 15. lib. 5. recept. ſentent.* Diſſ. Klock *lib. 3. conſ. 192. n. 90. & ſeqq.* qui hodiernis moribus, ne quidem conatum ad actum proximum deductum, pœna ordinaria puniri exiſtimat.

Th. XXXVIII.

NOllem tamen eadem ſeveritate animadvertere in eum, qui ſaltem cogitaverat *v. g. Regem occidere*, cum actus voluntatis interiores, legi humanæ non ſubjiciantur *l. 18. de pœn.* Brunnem. *ad d. l. 5.* & Farinatz. *all. loc. n. 154.* ubi dicit, *nudè cogitantem nullam pœnam mereri*; & ſanè durum eſt, quod refert hac de re exemplum Bodin. *l. 4. de Republ. c. ult.* in hæc verba ſcribens: *cum Nobilis quidam Normannus apud nos, fraterculo ſodali confiteretur, ſe Franciſcum Regem Galliæ occidere voluiſſe, nil tamen auſum eſſe, flagitioſæ voluntatis ſpontè pœnitere, ſodalis reo confitenti ac ſcelus deprecanti, quantum quidem poterat ignovit, eundem tamen paulo poſt ad Regem detulit, qui reum deprehenſum ad Curiam Pariſiorum mitti juſſit, curia capitali ſupplicio, quaſi perduellionis convictum, damnavit*: ubi addit Bodin, *prudentius tamen opinor Rex ignoviſſet, quia cogitationis illius ac voluntatis, quam propter ſcelerũ atrocitatem leges*

ges coercent, hominem pœnituiſſet, ac ſui ipſius proditor & accuſator prius exſtitiſſet, quam accuſaretur, per l. 18. de pœn. Quid verò, ſi quis crimen pœnitentia ductus, non perfecerit? Diſtinguit cum Clar. *lib. 5. Recept. ſent. q. 60. n. 21.* Matth. Steph. *ad conſt. crim. art. 178.* aut ideo pœnituit, quia facere non potuit, & punitur ac ſi perfeciſſet. *art. 178. conſt. crim.* ibi: wieder ſeinen Willen 2c. aut quia non voluit, & etiam in hoc delicto, ſaltem ab ordinaria pœna, erit excuſandus. *l. qui falſam 19. C. ad l. Corn. de falſ.* Farinatz. *cit. loc. n. 156.* quod verum eſt, ſi per conatum ei in quem is dirigebatur, nulla læſio illata eſt, alias poſt factum ſera nimis pœnitentia erit. *l. 65. ff. de furt.* Illud utique ſcimus, quod pœnitentia non præſumatur, ſed ab allegante eam, veniat probanda. Farinatz. *cit. loc.*

Th. XXXIX.

ALia deinde lex aſperrimum crimen, nova pœna perſequitur, quæ pompeja de parricidiis vocatur, ut improbiſſimi parricidæ [*qui quales ſint vid. in §. 6. I. de publ. Iud. ibique DD.*] plectantur ſecundum præſcriptum *l. 1. ad l. pompej. de parricid. d. §. 6.* In quam rem pulcherrimè Cicero pro Sext. Roſc. Amer. *quanto majores noſtri ſapientius? qui cum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in homicidas ſingulare excogitarunt, ut quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ii magnitudine pœnæ maleficio ſummoverentur, inſui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici; O ſingularem ſapientiam Iudices! nonne videntur hunc hominem, ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repentè cœlum, ſolem, aquam, terramque ademerunt: ut qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur; noluerunt feris corpus objicere, ne beſtiis quoque quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur, non ſic nudos in flumen dejicere, ne cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo cætera quæ violata ſunt, expiari putan-*

tantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare eſt, cujus partem aliquam reliquerint. Etenim quid tam eſt commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant, hactenus Cicero. Eadem quoque pœna Culei, afficitur is, qui parricidium ſaltem committere conatur, modo conatus ad actum proximum pervenerit, puta ad aggreſſionē cum gladio, vel ad veneni propinationem, ita quod per occidere volentem non ſteterit, quo minus effectus ſubſequeretur *per l. 1.* ibi: *& præterea qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare. ff. ad l. pomp. de parricid.* §. *6.* verbis: *ſive clam, ſive palam id auſus fuerit. I. de publ. Judic. l. un. ibi: fata præparaverit, C. de his qui par. vel lib. occid. arg. conſt. crim. art. 178.* Wie die / an Leib und Leben zu thun gebühret ꝛc. neque hæ leges, utpote de delicto hoc enormiſſimo conceptæ, per conſuetudinem generalem ſunt ſublatæ: uti tradit Harpr. *ad* §. *6. I. de publ. Jud.* Farinatz. *q. 120. ſect. 5. n. 152.* Covarruv. *ad clem. ſi furioſus rubr. de delict. & conat. n. 11.* Brunnem. *ad l. 1. ad l. pompej. de parricid.* Berl. *p. 4. concl. 6. n. 46.* Zieritz *ad conſt. crim. art. 130.* ubi in caſu, quo Conjux Conjugi venenum propinaverat, ad Conſult. Senat. Roſtoch. *anno 1606.* nec non Gardel. *anno 1618.* pœnam gladii ſe dictaſſe teſtantur; ſi verò conatus ſit in actu remoto, pœna levior pro Judicis arbitrio venit ſtatuenda. *conſt. crim. art. 178.* ibi: aber in einem Fall härter / dann in dem anderen ꝛc. quamvis ſi verum fateri velimus, etiam *l. 1. ad l. pomp. de parric.* actum remotum eadem ſeveritate proſequatur: quod tamen uſu non ſervatur. DD. *cit. &* Carpz. *pract. crim. q. 17. n. 36. & ſeqq. vid. etiam* Brunnem. *ad cit. l. 1. inſ. ad l. pomp. de parr.* Auſus inſuper in hoc crimine, operatur

rei

rei feudalis privationem. *arg. 1. f. 5. §. item ſi fratrem. 2. f. 24. §. denique v. ſi verò.* Roſenth. *de feud. c. 10. concl. 55.* Struv. *ſyntagm. feud. c. 15. aphor. 10.* Sanè ſi conatus proveniat ex timore, *v. g. gravida uxor metu mariti, vel ſocrus, partum ab alio progenitum, occidere conatur &c.* ordinaria pœna mitigari poterit, metu enim delinquentes, videntur quodam modo coactè delinquere, quia voluntas non eſt omnino libera. *t. t. quod met. cauſ.* & cum delicto perpetrato, talis etiam ab ordinaria pœna excuſetur, per tradita Carpz. *p. 1. q. 18. n. 51.* quanto magis, ſi ſaltem conatus interceſſit. *add.* Schult. ad Modeſt. Piſtor. *n. 3. q. 104. n. 8.* Idem ſtatuit Carpz. ſi juſſu patris, vel matris, filia conata fuerit interimere infantem. *arg. l. 4. de R. I. l. 37. ad l. Aquil.* quod ego in medio relinquo.

Th. XL.

EX eo autem, quod *all. l. 1. ad l. pompej. de parricid.* de veneno emto, in ordine ad occidendum patrem, loquatur, colligunt DD. quemlibet conatum veneficii, etiamſi ad actum proximum pervenerit, tanquam actum non puniri, odioſa enim non patiantur extenſionem, & nulla lex, hac de re diſponens, adduci poſſit; igitur vendentes, tractantes & propinantes venena, morte non ſubſecuta, vel ob impotentiam veneni, vel ob adhibita impedimenta, extra ordinem eſſe plectendos, ſecundum doctrinam Gomeſ. *tom. 3. var. Reſol. c. 3. n. 9.* Carpz. *p. 1. q. 21. n. 40.* Sed revelluntur per *l. 1. §. 1. & l. 3. ad l. Cornel. de ſic.* Covarruv. *in clem. ſi furioſus d. loc.* Cæterum pœnam ſubinde, aliquantulum cum Menoch. mitigari poſſe, pro Judicis arbitrio, non negaverim. In homicidio quoque jure civili, conatus, ſive ad actum remotum, ſive proximum pervenerit, pœna ordinaria coercetur. *l. Cornelia de ſic.* punitur *§. 5. I. de publ. Iud. l. 1. §. Divus ff. & l. 7. C. ad l. Cornel. de ſicar.* in quibus textibus, ad pœnam gladii, ſola ambulatio cum telo, hominis occidendi gratia, facta requiritur:

adeoque actus remotus eo jure ſufficit. Hodiè tamen, generali omnium locorum conſuetudine, huic diſpoſitioni derogatum eſt, adeo ut etiam actus proximus, puta, quando homo telo vulneratus eſt, ſaltem extra ordinem, non verò ferro plectatur; ita teſtantur Bald. Cyn. Salicet. & Brunn. *ad l. 7. C. ad l. Cornel. de ſic.* Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. fin. q. 92.* Treutl. *vol. 2. diſp. 23. th. 6. ibiq;* Bach. Menoch. *ſup. all. loc. n. 92.* &c.

Th. XLI.

QUæ tamen modo dicta Germaniæ conſuetudo ad Aſſaſſinum, qui ad alterius inſtantiam, pretio corruptus, aliquem occidit, non eſt extendenda, in hoc enim, ſi ſcil. non ſtet per aſſaſſinum, quo minus delictum conſummaret, niſi interficiendus caſu fortuito periculum evaſiſſet. Farinatz. *q. 23. n. 106.* Carpz. *in th. prac. all. loc.* conatus ad actum morti proximum perveniens, etiam hodiernis moribus, pœna ordinaria mortis mulctatur, convenienter *c. 1. de homicid. in 6.* idque ob delicti enormis immanitatem, improbam ſuſcipientis perverſitatem, & civium Romanorum ſecuritatem, receptum eſſe videtur. Covarr. *in clem. ſi furioſus. de homicid. n. 9.* Farinatz. *p. crim. q. 123. n. 106.* Damhoud. *in praxi crim. c. 83. n. 11.* Decian. *lib. 9. prax. crim. c. 30. n. 45.* Harpr. *ad §. 5. I. de publ. Iudic. n. 134.* Secus eſt ſi actus remotus, puta præparatio quædam intervenerit, nimium enim in odioſis pœna extendi non debet, niſi infidelis ad occidendum fidelem fuerit conductus, quo caſu verum aſſaſſinium ſubeſſe dicitur. *c. 1. de homicid. in 6.* Covarr. *d. loc. num. 9.* Clar. *in pract. crim. q. 92.* Carpz. *q. 19. n. 56.* Ex dictis, ad mandantem ſeu conducentem Aſſaſſinum, rectè inferimus, nam cum mandator cædis teneatur ut homicida *l. 15. §. 1. ad l. Corn. de ſic.* ſi mandatarius pervenerit ad actum delicto proximum, mandans ordinaria, ſin ad remotum, pœna extraordinaria arbitrio Judicis, coercebitur, per ea quæ tradunt Covarr. & Harpr. *all. loc.*

adde, quod Vaſallus, ſi Dominum aggredi conetur, feudo privetur. *2. f. 51. § ſi voluerit.* itemque ſi fœdus aut amicitiam cum hoſte, in pernitiem Domini, pepigerit. *2. f. 57.* maximum enim tunc ingratitudinis vitium committit, & contra fidelitatem Domino promiſſam agit, meritò igitur & privationis pœnam ſentit. *arg. l. fin. C. de revocand. donat.* Struv. *ſyntagm. jur. feud. c. 15. aph. 9.* Eſt & illud notandum, quod is, qui impias manus ſibi inferre conatur, arbitrio Judicis veniat plectendus. Menoch. *d. arbitr. Iud. quæſt. caſ. 284. num. 22.* & remittendus ſit ad forum pœnitentiale. Zieritz *ad conſt. crim. c. 135. jung.* Cöpp. *lib. 1. pract. obſ. 3. n. 5. & ſeqq.*

Th. XLII.

POrro qui nummos aureos finxit, ſi liber eſt, ad beſtias dari, ſi ſervus, ultimo ſupplicio affici debet *l. 8. ad l. Corn. de falſ. add. l. 2. C. de falſ. mon.* ſecundum *conſt. Carol. crim. art. 111.* Eadem ſeveritate quoque procedendum eſt, adverſus eos, qui majeſtatem ſibi quodammodo attribuentes, falſam monetam cudere conantur, modo ad actum conſummationi proximũ pervenerint, puta quod excuſſerint monetam, ſed necdum expenderint. *l. 19.* ibi: *ſi id totum formare noluerunt* &c. ergo à contrario ſenſu, tenebuntur ſi pecunia formata ſit. *ad l. Cornel. de falſ.* & tale crimen utique pro graviſſimo reputatur, cum non tantum cudens ſibi addicat Regalia, ſed etiam per adulterinos & ſpurios nummos, totum mundum decipiat, quoties autem aliquid formationi deeſt, etſi impediatur per apprehenſionem, quo minus perficiat, extraordinem mulctabitur, fortè enim adhuc potuit pœnitere. Menoch. *d. Arb. Iud. quæſt. caſ. 316. n. 23. & ſeqq. & caſ. 360. n. 65.* Covarr. *in clem. furioſus de homicid. n. 11.* Cyn. *in l. 3. C. de ſerv. fugit.* Sichard. *ad d. l. 3.* Matth. Steph. *ad conſt. crim. art. 111.*

Th. XLIII.

IS quoque, qui ad hoſtes transfugere conatur, & in via antequam perveniret deprehenſus eſt, cum ſit crimen graviſſimum, perinde ac ſi perfeciſſet, vel vivus exurendus, vel ex furca ſuſpendendus eſt. *l.38.* §. *1. de pœn. l.3.* ibi: *ſi deprehendantur ad barbaros tranſeuntes. C. de ſerv. fugit.* ubi non ſine ratione, mitior ſervis pœna dictatur, quia alias ſi ob fugam morte afficerentur, Domini per eos punirentur, & ex perfidia ſervorum, non eſt tantum Reipublicæ periculum metuendum, quantum ex fuga hominum liberorum, quoniam conſiliorum non ſolent eſſe expertes, adeoque nec ſecreta hoſtibus revelare queunt. *d. l.38.* §. *1.* ibi: *vel conſiliorum noſtrorum renunciatores. ff. de pœn.* ita Sichard. *in l.3. C. de ſerv. fug.* aliter Brunnem. *ibidem.* Idem ſtatuunt in iis, qui *v. g.* contra Edictum, hoſtibus victualia apportare conantur, ſi in actu proximo delicti conſummandi deprehendantur, maximè ſi conans ſe ejus animi fuiſſe confiteatur, vel vulgo jactaverit, ſe illuc victualia portaturum. *arg. l. Fulcinius 7.* §. *7. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur.* Sichard. *ad l. 3. C. de ſerv. fugit.* quamvis, ſi edictum nullam mentionem faciat conatus, contrariam ſententiam judicarem probabiliorem, cum in odioſis ſtricta interpretatio ſit facienda, & ipſo Sichard. fatente, victualium apportatio, nomen delicti graviſſimi non mereatur; Judex igitur, ponderatis omnibus delicti futuri circumſtantiis, arbitrariè animadvertet.

Th. XLIV.

INcendiarii, qui dolo malo data opera, ſcientes prudentesque, aut inimicitiæ, aut prædæ cauſa, incendium excitant, de jure civili variè puniuntur: nam ſequens diſtinctio, communiter comprobata eſt: aut incendium magnum in civitate commiſſum à vili perſona, & coercetur per damnationem ad beſtias & ignem *l. 9. & l. ult.* §. *1. de incend. ruin. naufr.* In

Illu-

Illuſtri perſona, per decapitationem *all. l. fin.* §. *1.* Mynſ. *6. obſ. 88. n. 5.* Gail. *lib. 2. obſ. 22. n. 6.* aut incendium parvum eſt, & decapitatio obtinet in perſona vili *l. 28.* §. *incendiarii 12. de pœn.* Schneidew. *ad* §. *capite tertio I. ad l. Aquil. n. 5.* in Illuſtri deportatio *l. fin.* §. *1. de incend. ruin. naufr.* Mynſ. *d. loc. n. 8.* Incendium autem ruri commiſſum, levius plectitur *l. 38.* §. *1. & 12. de pœn. vid.* Brunnem. *ad l. 9. & 11. de incend. ruin. naufr.* aſt Jure Carolino *art. 125.* diverſitas hæc non attenditur, ſed indiſtinctè Incendiarius pœna ignis afficitur, & vivus comburitur Zieritz. Matth. Steph. *in dict. Art.* Eodem genere mortis conatum, modo ad actum proximum pervenerit, puta quod quis linteas ſtupas cum igne, pice, ſulphure aut pulvere nitrato, aut carbones aut titiones alicubi depoſuerit, vindicandum eſſe non ſine ratione tradunt DD. ſive enim delicti atrocitatem inſpicias, eſt illud ſine dubio ex atrociſſimis, ſive detrimentum inde metuendum, videbis illud non in unius, ſed in totius Reipubl. internecionem tendere, ſive denique univerſam noſtri Imperii conſuetudinem, & de hac teſtantur Berl. *p. 5. concl. 24. num. 21. & ſeqq.* Damhoud. *in pract. crim. c. 103. n. 11.* Farinatz. *p. 3. q. 110. num. 157.* Zieritz. *ad art. conſt. crim. 125.* & expreſsè conſtitutum reperitur de Jure Saxon. *p. 4. conſt. 17.* verſ. nachdem daß ſolche ꝛc: ubi Dan. Moller. Ampliat dicta multò magis procedere, in Incendiariis Conductitiis, vulgo ein Mordbrenner ꝛc. *all.* Zieritz *d. loc.* Conatum actui proximum, tunc quoque ſubeſſe docent DD. quoties quis ſuper incendio faciendo deprehenſus, ſed à conſummatione, per ſupervenientiam alterius, impeditus fuit, licet nihil adhuc incendio aptum depoſuerit. Farinatz. *q. 124. n. 11. & ſeqq.* Berl. *all. n. 24.* quoties verò ſaltem conſpiratio, & tractatus ſuper incendio committendo habitus fuit, adeoque in actu remoto verſamur, extraordinaria pœna pro arbitrio Judicis ſubintrabit, actus

enim facti atrocius punitur, quam actus verbi, uti id latius comprobat Berl. *d. loc. n. 41. & ſeqq.*

Th. XLV.

SEditio, definiente Brunnem. *ad l. 1. C. de ſeditioſ.* eſt mobilis vulgi, ad excitandum tumultum contra quietem publicam, dolo facta concitatio. *Art. 127. conſt. crim.* pœna pro qualitate delinquentium, & circumſtantia criminis variat, modo enim in furcam tolluntur, modo beſtiis ſubjiciuntur, aut in inſulam deportantur *l. 38. §. 2. l. 28. §. 3. de pœn.* delictum hoc ſi moliatur contra Principem, in crimen læſæ majeſt. incidit, adeoque conatus in actu proximo conſiſtens, meritò ultimo ſupplicio coercetur *l. 1. §. 1. in f.* ibi: *quive milites ſollicitaverit, concitaveritve, quo ſeditio, tumultusve adverſus Rempubl. fiat ff. ad l. Iul. majeſt.* ſin verò contra Magiſtratum inferiorem, non ſuberit crimen majeſtatis, adeoque modo levior, modo gravior pœna ſecundum qualitatem perſonæ, & enormitatem criminis, à prudenti Judice imponi poteſt. *arg. l. 1. C. de ſedit. ubi de Advocatis agitur, qui populum contra publicam diſciplinam defendere tentant.* & Brunn. *ibid.* vide de antedictis Farinatz. *quæſt. 113. n. 182. & ſeqq.* ubi eum qui populum concitando gridat, vivat talis, moriatur talis, inquit, pœna mortis eſſe afficiendum. *l. 28. §. ſolent 3. de pœn. l. 2. C. de ſeditioſ.* præſertim ſi in Eccleſia contingat talis clamor *l. denunciamus 5. C. de his qui ad Eccleſ. conf.* vel à militibus fiat *l. 3. §. pen. de re milit. adde* Anton. Bullæum *ad conſt. crim. art. 178.* ubi refert Valent. Voltz. *conſ. 2. de inquiſit. n. 155. & 156.* Menoch. *d. Arb. Iud. quæſt. caſ. 266. n. 4. & caſ. 437. ubi agit de Monacho ſeditioſo.* Diſſent. quodammodo Klock. *conſ. 191. n. 28. & ſeqq. lib. 3. & conſ. 192. n. 117. & ſeq.* qui indiſtinctè putat, conatum in ſeditione, vel utili actione ſervi corrupti. *t. t. de ſerv. corr.* vel extraordinaria, nunquam verò mortis pœna, eſſe puniendum, per *l. 1. C. de ſeditioſ.* niſi admoni-

monitus in malitia perſeveraverit *l.28. § ſolent. de pœn.* & ita practicari notat Cravet. *conſ.224.n.2. & 3.* ſed cum delictum hoc,teſte Menoch. *all. loc.* admodum grave ſit, & ruinam multorum poſt ſe trahere poſſit, inſuperque ſpecies inſignis perfidiæ ſit, quid ni ſententiam à nobis propoſitam, tutò ſequemur?

Th. XLVI.

DElicta carnis quæ ſuperſunt, diſtinguuntur fermè in raptum, Inceſtum, Adulterium, lenocinium, ſtuprum violentum & ſodomiam. Raptus eſt hominis, de loco in locum abductio, libidinis cauſa facta: dico *hominis*, quoniam non ſaltem virgo ſive ſanctimonialis ſit, quo caſu ſacrilegium eſt conjunctum. Brunnem. *ad l.54.C.de Epiſc. & Cler.* ſive quælibet alia fœmina, honeſta tamen, non meretrix *l. quæ adulterium 29. C. ad l. Iul. de adult. l.39. de furt.* Ceph. *lib.1.conſ.140.* Bach. *ad* Treutl. *diſp.32.th.3. lit.c.vol.2.* & ait Salicet. in *l.1. C. de rapt. virg. hoc eſſe notandum pro Scholaribus, qui frequenter rapiunt meretrices.* vidua, nupta mulier, ſponſa *l. un. C. de rapt. virg.* ſed etiam vir à fœmina rapi poteſt *d. l. un. §. pœnas 2. ibique* Brunn. dixi *abductio*, nec addidi invita, quia etiam volens contra voluntatem parentum, vel cognatorum, vel ſi ſanctimonialis ſit monaſterii, tamen rapitur. Carpz. *pract. crim. art.118. q. 40. n. 26.* Farinatz. *q.145. n.105. & ſeqq.* pœna improbi raptoris exſtat *in l. 54. C. de Epiſc. & Cler. & l. un. C. de rapt. virg.* quam eandem etiam leges dictant ei, qui ſaltem raptum perficere conatur, modo pervenerit ad actum proximum, nec per raptorem ſtet, quo minus propoſitum malevolum in effectum deducat, ſed vel per reſiſtentiam mulieris, vel per ſupervenientiam alterius impeditus, quo minus quod deſtinaverat, perficiat. *l.5.C.de Epiſc. & Cler. l.un. C. de rapt. virg. c. ſi quis rapuerit 30. c. 27. q. 1. c. ſi quis non dicam rapere. 6. c. 33. q.3. de pœnit. diſt. 1.* Brunn. *ad cit. l. un.* Farinatz, *q.145. n.200.*

&

& ſeqq. ubi *n. 209.* refert caſum, quod quis in alta furca fuit laqueo ſuſpenſus, propter raptum honeſtæ viduæ &c. Menoch. *d. arb. Iud. quæſt. c. 360. n. 33.* Covarr. *in clem. ſi furioſus X. de homic. n. 8.* Clar. *in pract. crim. §. fin. q. 92. &c.* Maſcard. *de probat. concl. 1260.* quod Ampliant DD. etiamſi quis virginem rapere voluerit, cauſa matrimonii, per *l. 5. C. de Epiſc. & Cler.* quæ tamen loquitur de moniali, in qua ob votum caſtitatis, ratio ſpecialitatis ſubeſſe videtur. *vid.* Frarinatz. *n. 207.* quamvis etiam, ut verum fatear, textus ſupra adducti, videantur ſaltem requirere actum verbi, non etiam facti proximi, quoniam faciunt mentionem ſollicitationis, niſi quis velit intelligere, non ſollicitationem ſimplicem & verbalem, ſed cum facto conjunctã, tamen hodiè pro actu remoto, extraordinẽ ſaltem punietur. DD. communiter *ad cit. text.* uti quoque idem docent, ſi Raptor pœnitentia ductus, crimen non perfecerit. Menoch. *art. Iud. quæſt. caſ. 261. n. 34. & caſ. 360. n. 32.* Brunn. *ad l. 5. C. de Epiſc. & Cler. & l. un. C. de rapt. virg.*

Th. XLVII.

INceſtus crimen deteſtabile, & gravius adulterio *l. 38. §. 1. ad l. Iul. de adult. c. adulterii. c. 32. q. 7.* Menoch. *d. arb. Iud. quæſt. caſ. 502.* deſcribitur conſanguineorum, vel affinium in gradu prohibito, abuſus. Farin. *q. 149. n. 4.* committitur vel cum vel ſine matrimonio, utroque modo vel in linea aſcendente & deſcendente, vel collaterali *l. fin. ff. de rit. nupt.* Berl. *p. 4. concl. 32. n. 10.* pœna deportatio eſt, item ſi fiat cum matrimonio, ſubintrabit *auth. inceſtas. C. de inceſt. nupt. l. 11. §. 1. ad l. Iul. de adult. l. 5. de quæſt.* quæ quia non amplius frequentatur, ſed in arbitrariam commutata eſt, dicendum cum Farin. *all. loc. n. 11.* hanc hodiè eſſe arbitrariam: pro ut id exemplis illuſtrat Clar. *lib. 5. recept. ſent. §. inceſtus.* ubi modo ſuſpendii, vel ignis, maximè in linea aſcendenti & deſcendenti, modo gladii, ſicuti in adulterio fit *l. 30. § 1. C. ad l. Iul. de adult.*

&

& vult. Berl. *d. loc. n. 14.* Dubiis ℞. Menoch. *caſ. 502. num. 35.* modo fuſtigationis aut relegationis, in linea collaterali dictata, commemoratur. Igitur quoque conatus pœna, ab arbitrio Judicis dependebit, & providus Judex pro diverſitate caſuum, utrum conatus ad actum remotum, vel proximum pervenerit, utrum in linea aſcendenti & deſcendenti, vel collaterali committatur, utrum cum adulterio vel ſtupro, inceſtus conjunctus ſit nec ne, modo graviorem, pro ut ſcandalum publicum efflagitat, modo leviorem pro circumſtantia & qualitate rei, dictabit: Clericus autem perpetrare attentans, ſi modo ſcandalum in populo ſecutum fuerit, inſuper beneficiis privatur & deponitur, *arg. c. presbyter. c. ſi quis ſacerdotum. & c. ſi quis Clericus diſt. 81.* Covarr. *in Epit. de ſponſal. p. 2. c. 6. §. 8. n. 3.* Farin. *q. 149. n. 35.*

Th. XLVIII.

STuprum violentum aliqui ad raptum referunt, ſed perperam, cum non ſaltem Etymologia, ſed etiam re ipſa, magna inter hæc duo delicta reperiatur differentia, illud enim fit ſaltem in invitam libidinis explendæ cauſa, & perficitur ſola compreſſione, raptus verò etiam in volentem aliquando matrimonii gratia, puta ſi parentes vel cognati nuptiis conſentire nolint, & pro forma eſſentiali, traductionem de loco in locum requirit. *l. un. C. de rapt. virg.* vid. latè hac de re Berl. *concl. 41. n. 1. & ſeqq.* differunt quoque pœnis, raptor enim ultimo ſupplicio afficitur, & præterea bona ejus confiſcantur *l. un. §. 2. de rapt. virg.* ſtuprator violentus autem, absque confiſcatione bonorum, gladio plectitur *l. 1. §. fin. de extraord. crim. l. 29. §. ult. ad l. Jul. de adult. junc. l. 5. §. ult. ad l. Jul. de vi publ. conſt. crim. art. 119.* Farin. *in pract. crim. q. 149. n. 10.* Berl. *all. loc. n. 20. & ſeqq.* Sed quid ſi quis luctatus eſt cum virgine, hac voluntate ut eam comprimeret, adnixusq; eſt quantum potuit, puta ad actum proximum pervenit, quod ſecun-

 dum

dum Farinatz. *q. 123. num. 106.* tunc factum eſſe cenſebitur, ſi mulierem in terram projecerit, volueritque clauſtra pudoris aperire, ſecus ſi eam ceperit per veſtimenta & per pannos, an tali caſu morte mulctabitur conatus? R. etſi hoc crimen atrox, & gravius adulterio ſit *l. 5. §. ult. in f. ad l. Iul. de vi publ. l. 24. §. ult. ad l. Iul. de adult.* Berl. *d. l. n. 34.* tamen quia tam de jure civili, quam *conſt. crim.* conanti ſaltem, pro modo & qualitate actuum, pœna extraordinaria dictata eſt. *l. 1. §. fin. de extraord. crim. art. 119.* ibi; ſo ſich aber einer ſolches obgemeltes Mißhandels / freventlicher und gewaltiger Weiſe / gegen einer unverleumbden Frauen oder Jungfrauen unterſtünde / und ſich die Frau oder Jungfrau / ſein erwehrte / oder von ſolcher Beſchwertnüß ſonſt errettet würde / derſelbige übelthäter ſoll auff Beklagung der Benöhtigten / in Außführung der Mißhandlung / nach Gelegenheit und Geſtalt der Perſonen / und unterſtandenen Miſſethat geſtrafft werden. ibique Matth. Steph. Zieritz & Anton. Bull. exaſperatur autem pœna, ſi præter conatum, violentia quædam & actu permanens fuerit adhibita, veluti anno 1550. cuidam qui in via publica, per vim attentavit puellæ pudicitiam, & eam, cum repugnantem opprimere non poſſet, gladio vulneravit, non ſolum pœnam fuſtigationis, ſed etiam amputationem manus, Wittenbergenſes dictaſſe, refert ex Coler. *p. 1. deciſ. 126. n. 109.* Berl. *d. l. num. 43.* ſimile exemplum refert Farin. *q. 145. n. 6.* de quodam Chriſtophoro, qui puellam duodecim annorum, animo carnaliter cognoſcendi, cœpit & in terram projecit, gulæque renitentis & clamantis, puellæ minando mortem, evaginatum cultrum direxit ut taceret, & fineret ſe deflorari, ſed cum adhuc illa reſiſteret, ob naturæ imbecillitatem deflorare non potuit. Ita etiam quidam Stephanus de Alice, qui cum puella nondum quadriennii voluit coire, & ei fregit pudibunda, juſſus

fuit capite truncari *6. Septembr. 1558. teſt.* Clar. *lib. 5. recept. ſent.* §. *ſtuprum n. 9.* ſi verò nullum damnum ex conatu, obvenerit virgini necdum viripotenti, graviſſimè quidem, ſed tamen citra mortem talem puniendum eſſe, *per l. 38.* §. *qui nondum viripotentes. 3. ff. de pœn.* exemplum habes apud Carpz. *p. 2. q. 61. n. 13.* Matth. Coler. *deciſ. 176. n. 110.* adde omnimodo Berl. *concl. 42. per tot.* mitius tamen puniendus, ſi ſponſus etiam per vim ſponſam comprimere vellet, tenebitur enim ſaltem de ſtupro. Farinatz. *deciſ. crim. 72. n. 1. & ſeqq. lib. 1.* itemque ſi uterque impubes, per *c. 1. verſ. quod meritò crederemus. X. de del. puer. l. 1.* §. *impubes 32. ad SCt. ſyll.* Berl. *d. l. n. 47.* ſic quoque, ſi quis necdum viripotenti ſtuprum inferre conatus fuerit, humilior in metallum, honeſtior in inſulam relegabitur *l. 38.* §. *3. de pœn.* Hodiè verò, cum in uſu eſſe deſierit in metallum damnatio, humilior virgis cæſus in perpetuum relegabitur. Berl. *d. l. n. 11.* ſic & gravius extraordinem, arbitrio Judicis, coercendus eſt commentarienſis, vel cuſtos carceris, qui rem nefandam cum incarcerata habere conatus fuit, cum ille diligenter & honeſtè cuſtodire, & alere mulierem incarceratam teneatur. *l. 1. & ult. C. de cuſtod. reor.* & cenſeatur quodammodo in invitam conari *l. 21. & 22, quod met. cauſ.* itemque religio carceris violata ſit. *vid.* Menoch. *d. arb. Iud. quæſt. caſ. 292.* Berl. *concl. 36.* pro ut idem ſtatuendum, ſi quis fœminæ non ſanæ mentis, ſtuprum inferre voluerit, per ea quæ tradit Berl. *concl. 37.*

Th. XLIX.

EOdem modo conatus in adulterio, non punitur pœna adulterii comiſſi, etiamſi is ad actum proximum pervenerit, puta quidam inventi fuerint, habere pudenda cum pudendis, tum quia adulterium requirit thori violationem, quæ fit per ſanguinis commixtionem, tum quia pœna adulterii, quodammodo conſiſtit in ſuppoſitione falſi partus *l. 19.*

§. *1. l. 30.* §. *1. ad l. Cornel. de falſ. l. 1. de agnoſc. lib. l. 34.* §. *1. ad l. Jul. de adult.* tum denique, quod nullus textus hanc extenſionem in conatu ſuadeat, ſine lege autem aliquem interficere, nobis non eſt integrum, inquit Modeſt. Piſtor. *q. 92. n. 6. & 10. add.* Carpz. *p. 2. q. 6.* Diſſ. cum allegatis Berl. *concl. 27. n. 69. & ſeqq.* ubi *n. 71.* ſcribit: *econtra verò, ſi quis mulierem veneris exercendæ cauſa in terram proſtraverit, vel ejus veſtimenta levaverit, ſed aliquo timore, vel alio impedimento ſuperveniente, copula carnalis ſecuta non fuerit, tunc is perinde puniri debet, ac ſi adulterium revera conſummatum fuiſſet, cum hic ſit actus multum propinquus adulterio, & quaſi pars intrinſeca ipſius. idem Auth. num. 72. quemadmodum etiam pœna adulterii ordinaria locum habet, ſi quis cum ſuum membrum juxta mulieris vas poneret, ſed antequàm cum ea realiter copularetur, ſemen emittat, quoniam talis actus facti, omnium maximè propinquus ad adulterium cenſetur*: aſt ſententia hæc per ea quæ adduximus, rigoroſa nimis videtur. Sanè ſi quis pudenda in pudendis habuerit, etiamſi ſemen intus non emiſerit, propter enormem improbitatem & perfectionem delicti, in ſuo genere Berl. opinio procedere poſſet. *arg.* eorum quæ in ſimili tradit Farin. *q. 148. n. 65.* Extraordinariam pœnam multo majis defendere poſſumus, ſi quis ſaltem ad actum verbi vel facti remoti, puta ad oſcula in publico, tactus ſimilesve actus pervenerit *l. 1. in f. de extraord. crim. c. ſollicitatores diſt. 1. c. 33. q. 3.* Damhoud. *in ſua pract. crim. p. 4. tit. 16. q. 141. n. 103.* Clar. *l. 5. ſent.* §. *adulterium. n. 68.* Farin. *q. 141. n. 103.* itemque mitius punienda uxor, quæ ob diuturnam mariti abſentiam, eum mortuum exiſtimans, improba conatur *l. 11.* §. *12. ad l. Jul. de adult. c. in præſentia X. de ſponſal.* Berl. *d. loc. n. 75.* & omnibus illis caſibus, qui excuſant ab adulterii actu perpetrati pœna. Farin. *q. 141. ubi hac de re latè tractat.* Illud etiam non negaverim, poſſe ſeparationem fieri

quo

quo ad menſam & thorum, ſi vir ſæpius mulierem in hæreſin, vel vitium ſodomiticum pertrahere conetur, cum ſubſit periculum animæ & metuenda perditio *c. de illa X. de divort.* juxta Farin. *n. 103. q. 143.* ſic uxor, quæ ſe patitur impudicè deoſculari, tangi, amplecti, maximè in locis ſecretis, & temporè ad venerem opportuno, perdit dotem, ejus enim mores corrupti videntur; & fortius præſumetur adulterium, ſi nudus cum nuda in eodem lecto repertus fuerit, quæ & ſimilia huc pertinentia, latè reperis apud Farin. *q. 142. num. 133. & ſeqq.* Menoch. *de præſumt. tom. 2. lib. 8. præſumt. 41. n. 26. & ſeqq. & de arb. Iud. quæſt. caſ. 287. n. 8. & ſeqq.* Hæc procedunt, ubi quæſtio eſt de pœna corporis afflictiva, cœterum ſi de amiſſione feudi agamus, conatus ſive in actu remoto, ſive proximo fuerit, pro facto habebitur, ſic enim qui cum uxore, vel ſponſa Domini concumbere ſe exercuerit, eam turpiter deoſculando, amplectendo, per literas ſollicitando, feudo privatur *1. f. 5. 21. §. fin. 2. f. 24. § item. verſ. rurſus.* non verò idem de vidua dicimus, niſi fortè fuit intra tempora luctus, nam tunc maxima injuria videtur Domino inferri. *l. 11. §. 1. de his qui not. inf.* Roſenth. *de feud. cap. 10. concl. 27. num. 51.* Struv. *cap. 15. aph. 9.*

Th. L.

ORdinaria Lenocinii pœna locum non habet, effectu non ſecuto, utputa quia mulier, à Lena requiſita & ſollicitata noluit conſentire, actùs enim verbi, ordinariò modo puniri non ſolent. Cyn. *in l. 5. de Epiſc. & Cler. l. 1. inf. de extraord. crim.* aggravabitur tamen delictum, ſi vir uxorem, pater filiam, comes puellam ſibi concreditam, accepto pretio, corrumpere voluerit, ſicuti enim hiſce in caſibus major ſubeſt perfidia, ita quoque majori animadverſione opus eſt. *c. 15. de pœnitent. diſt. 1. q. 3. c. 33.* Farin. *q. 144. n. 75.* quis leno dicatur habet *l. 4. §. 2. de his qui not. inf.* de pœna tractant Farin. Berl. *d. loc.*

Th. LI.

Th. LI.

SOdomia quidem delictum graviſſimum enormiſſimumque eſt, & propterea ei dictata ultimum ſupplicium §. *item lex Iulia. I. de publ. Iud. l. cum vir 31. C. ad l. Iul. de adult.* Conſt. Carol. pœna Ignicremii *art, 116.* ſed tamen idem in conatu, etiamſi ad actum proximum pervenerit, ſtatuendum non eſt, propter textum expreſſum. *in l. 1. §. fin. de extraord. crim.* qui eſt canonizatus in *c. ſollicitatores §. qui pueroc. 33. q. 3.* forte enim in delictis carnis, quia in iis homo facilè ſeduci poteſt, effectus diſtinguitur ab attentato. *vid.* Clar. *lib. 5. recept. ſent. §. ſodomia. n. 8.* Farinatz. *q. 145. n. 61. & ſeqq.* ubi varios caſus recenſent, quomodo conatus extra ordinem, modo levius, modo gravius, pro qualitate circumſtantiarum, punitus fuerit. *add.* Matth. Steph. *ad art. 116.* Carpz. *q. 76. n. 56.* quod ſi tamen membrum, in ipſas partes pudendas immiſiſſet, etiamſi extra eas ſe polluiſſet, propter delictum in ſuo genere perfectum, pœnam mortis non evitabit, uti præjudicio confirmat. Brunn. *ad l. 1. de extraord. crim.* Farin. *q. 145. n. 65.* Ex his quæ exempli loco attulimus, facilè de aliis delictis quid ſtatuendum ſit, judicari poterit; addimus tamen & illud, quod in pœnis ſtatutariis, conatus in actu proximo, quantumvis atrox ſubſit delictum, non puniatur pœna criminis conſummati, ſed ſaltem extraordinaria, quia talis interpretatio fieret per juris fictionem, quæ locum ſibi in ſtatutis non vindicat, cum verba in iis, ſecundum ſtrictam & propriam naturam, veniant explicanda *l. 3. §. hæc verba ff. de negot. geſt.* pro ut hoc pluribus confirmat Bald. *ad l. 5. C. de Epiſc. & Cler.* Tiraq. *de pœn. temp. cauſ. 37.* Gail. *de pac. publ. lib. 1 c. 14. n. 29.* Menoch. *de arb. jud. quæſt. c. 360. n. 108.* quam ſententiam, per plures Ampliationes & limitationes, latè declarat Farinatz. *q. 124. n, 118. & ſeqq.*

Th. LII.

Th. LII.

SAnè illud exiſtimarem, etiamſi ſtatutũ non faciat mentionem conatus, ſed ſaltem effectus, tamen ſi Jus commune in eodem delicto, ſuper quo etiam diſponit ſtatutum, conantem æqualiter cum conſummante plectat, adhuc non obſtante ſtatuto, conatum delinquentis pœna ordinaria, non quidem vi ſtatuti, ſed legis puniri poſſe, quicquid contra velit Menoch. *d. l. n. 93. & ſeqq.* ceſſante enim, in caſu quodam diſpoſitione ſtatuti, ſubintrat diſpoſitio juris communis, cui etiam ſtatutum ſeſe cenſetur accommodaſſe, vel ipſo Menoch. teſte *cit. loc. n. ult.* ſi verò etiam ſtatutum puniat conatum, illud de conatu in actu proximo, non etiam remoto intelligemus, ne rigoroſa nimis ejus pœna evadat. Farin. *d. l. n.* 143. Nec hoc prætermittendum, quod ad incurrendam pœnam ſpiritualem, pro ut eſt excommunicatio, aliave cenſura Eccleſiaſtica, requiratur actus perfectio, & delicti conſummatio. Menoch. *d. loc. n. 89.* & ideo irregularis non conſtituitur Clericus, qui animo occidendi Titium cum telo ambulavit, ſi actu eum non interemit, vel ipſi membrum mutilavit, cum effectum ipſum deſiderent canones. Covarr. *in clem. ſi furioſus. p. 2. rubr. de delict. & conat. n. 5. per c. ult. c.* 15. *q.* 1. *c. ſicut. 32. q. 2. c. cogitationis. de pœnit. diſt.* 1. quem inter alios ſequitur Farin. *q.* 124. *n. 56.* & rectè inde infert *num. 57.* eum non eſſe excommunicatum, qui voluit percutere clericum, & vibravit in ipſum jaculum, ſi non percuſſit: nec eſt denique ab ordinibus, tanquam bigamus removendus de Jur. Canon. qui ſecundas nuptias quidem contraxit, ſed non conſummavit, etiamſi conatus in actu proximo adfuerit, *c. 4. & 5. diſt. 26.* cum in foro interiori, ad bigamiam requiratur diviſio carnis in plures, quæ non poteſt fieri, niſi per conſummationem, & conſequenter per ſeminis immiſſionem. *can. lex c. 27. q. 2. & in c. 20. de converſ. conjug.* per quam fiunt una

caro.

caro. Sanchetz. de matrim. *tract. 7. diſp. 83. n. 3. vid.* Zœſ. *ad tit. de bigam. non ordin. n. 3.*

Th. LIII.

Cauſa formalis. FOrma conatus liciti, ut cuivis obvium, in actuum perficiendorum inchoatione, quatenus ea opponitur omnimodæ perfectioni, conſiſtit. *pr. I. de emt. vend. l. 17. C. de fid. inſtr. l. 25. qui teſtam. fac. poſſ. §. 7. I. quib. mod. teſt. inf. l. 11. §. 1. de leg. 3. &c.* illicitus verò formaliter, actuum quorundam ad nocendum comparatorum. *art.* 178. verbis: Die zu vollbringung derſelben Miſſethat / dienſtlich ſeyn mögen. (Facta igitur indifferentia, cenſuram non merentur. *l. 2. §. 4. de vi bon. rapt. l. 1. §. 30. & 31. de Scto Syll.*) ſive facti, ſive verbi, punibilis. *vid. l. 7. de extraord. crim. l. un. C. ſi quac. pr. ad. pot.* manifeſtationem deſiderat. *d. art.* ibi: So ſich jemand einer Miſſethat mit etlichen / (ita Schefer *in edit. de ann.* 1533. alii & communiter legunt, ehrlichen / voce hac abuſivè ſumta. Anton. Bull. & Zieritz ad *d. art.* uti pari modo, uſurpatur verbum redlich in *art.* 13. 16. 18. 43. & 131.) ſcheinbahren Wercken / ad excluſionem occultorum, de quibus non judicat Eccleſia. *c. ſicut X. de ſimon.*

Th. LIV.

Cauſa finalis. IN quem finem homo conetur, ſcil. ut licitum vel illicitum, tanquam bonum appetibile, in actum ſecundum producatur. *conſt. crim. art* 176. *§. 7. I. quib. mod. teſt. inf. pr. I. de emt. vend. l. 17. C. de fid. inſtr.* ex ſupradictis haud difficulter cognoſcitur. Effectus. Ex quibus itidem effectus hujus materiæ, ſine magno labore à quovis elici poterit, paucos tamen adhuc caſus adducendo, in iisque effectum conatus demonſtrando. Dico (1.) qui mutandi veteris, & conſtituendi novi domicilii gratia, in alium locum certum migrare conatur, etiamſi adhuc ad locum deſtinatum necdum pervenerit, ſed in via moriatur, tamen vetus mutaſſe & novum conſtituiſſe videtur, tùm

quod

quod nemo ſit cenſendus vagabundus. Frantzk. *lib.* 1. *reſol.* 16. *n.* 6. tum quod potentia actui proxima, habeatur pro actu, & cingendus pro cincto *l.* 43. *de teſtam. mil.* tum deniq; per *l.* 27. §. 2. ibi: *quærens quo ſe conferat, atq; ubi conſtituat. ff. ad municip.* adeoque ſi talis inteſtatus moriatur, fit ſucceſſio ratione mobilium, juxta ſtatuta non relicti, ſed noviter acquiſiti domicilii. Struv. *Exerc.* 38. *th.* 44. ratione immobilium verò, in loco rei ſitæ. Coler. *de proceſſ. execut. p.* 1. *c.* 3. *n.* 243.

Th. V.

DIco (2.) ſi prætor decreverit, ut damni infecti nomine caveret vicinus, aut eo non promittente in poſſeſſionem irem, ego quidem conatus ſim, apprehendere poſſeſſionem, ſed antequam veniſſem, ædes corruerint, hic conatus idem operatur, ac ſi revera eam adeptus fuiſſem. *l.* 44. *de damn. inf.* & nihilominus in poſſeſſionem ruinæ, vel areæ ſum mittendus *l.* 15. §. 34. *d. tit.* ſin autem ante decretum interpoſitum, poſtulatum tamen, ruina ſubſecuta fuerit, miſſio quidem ceſſabit, aſt prætor decernere debet, quicquid damni contigerit, ut de eo quoque caveatur, aut ſi putat, quod actionem utiliter daturus ſit, decernat *l.* 15. §. 28. *de damn. inf.* ne diutina Judicis deliberatio, conanti obſit. Struv. *Exercit.* 39. *th.* 27. Dico (3.) ſolus conatus & in actum aliquem deductus, efficit, ut locum obtineat novi operis nunciatio, puta ſi quis ob ædificium conficiendum, locum purgari, lapides & cœmenta convehi, calcem coqui &c. curaverit *l.* 5. §. 2. *l.* 8 §. 1. *l.* 20. §. 2. *de nov. oper. nunc.* Bach. *ad* Treutl. *vol.* 2. *diſp.* 18. *th.* 1. *lit.* D. deſiderat enim hoc remedium opus exſtruendum, non exſtructum. *l.* 1. §. 1. & *l.* 8. §. 1. *d. tit.* Struv. *Exerc.* 39. *th.* 7.

Th. LVI.

DIco (4.) qui alium, extra ſuam poteſtatem *arg. l.* 24 §. 6. *de damn. inf.* daturum facturumve promittit, etſi nec ſe ipſum ob defectum conſenſus, nec alium ob rationem *l.* 3.

C. ne ux. pro mar. hoc ipſo obliget, tamen ſi factum proprium in ſtipulationem deduxerit, *v. g. ſe effecturum, ut Titius det, vel faciat, ſpoponderit*, aut ad pœnã conventioni additam, aut ad interèſſe tenebitur. §. *3. I. de inut. ſtip. ibique* DD. *l. 38. §. 2. l. 83. pr. de V. O.* Illud tamen communiter placuit, promiſſorem, ſi is omni adhibita diligentia conatus fuit, ut tertius efficeret, liberari. Schurff. *conſ. 15. cent. 1.* Weſenb. *ad §. 3. I. de inuti. ſtip. ibique* Vinn. *n. 2.* exceptiones habet Struv. *Exerc. 47. th. 7.* Dico (5.) Teſtamentum ut inofficioſum accuſans, adeoque ultimam teſtatoris voluntatem, quantum in ſe eſt, evertere conans, ſive nomine proprio, ſive alieno, ut Advocatus *l. 5. §. 13. de his quæ ut ind.* dummodo, non neceſſitate officii coactus, fecerit §. *4. & 5. I. de inoff. teſtam.* perdit relictum, idque fiſco vindicatur, quaſi indigno ablatum. *l. 8. § meminiſſe 14. de inoff. teſtam.* ſecus eſt, ſi quis conatus fuerit, teſtamentum dicere falſum, aut non jure factum, ob defectum ſolennitatum *l. 5. pr. & §. 1. de his quæ ut ind. ibique* Brunnem. rationem differentiæ adducit Vinn. *ad §. 5. Inſt. de inoff. teſt. ex l. 24. de his quæ ut ind.* quia, qui teſtamentum jure factum negat, de jure diſputat, non impugnat aut accuſat judicium defuncti, ſed præter illius mentem, hæredem illum additum eſſe, dicit. Brunn. *ad l. 4. de his quæ ut ind.* Sanè conatus patris ipſi ſaltem nocet, ratione lucri & ſperati ex legato uſusfructus, non etiam filio *l. 5. §. 3. de his quæ ut ind.* ſicuti nec vice verſa, conatus filii obeſt patri, quo invito accuſatio facta fuit. *d. l. 5. §. 5. de his quæ ut ind.* Pinell. *ad rubr. Cod. de bon. matern. p. 1. n. 28.*

Th. LVII.

Dico (6.) in Conditionibus, ſingularem quoque ſæpe numero conatus ſortitur effectum, regula enim hic comprobata eſt, quoties per eum, cui conditio adjecta, non ſtat, quo minus ea impleatur, toties habetur pro impleta. *l. 24. de*

cond.

cond. & dem. quod ita intelligendum, modo ſtet per hæredem, vel alium, in cujus perſonam conditio collata eſt, quo minus ei ſatisfiat *l. cum non ſtat. de R. I. in 6. l. 20. §. is cui ſervus ff. de ſtat. lib. l. 5. §. item ſi qua. ff. quand. dies leg. l. fin. C. de cond. inſert.* Secus ſi per tertium, maximè quando injuſta fuit prohibitio, aliud ſi juſta *l. 14. de cond. & dem. l. 40. ff. eod.* & regreſſum contra eum, prohibitus habere poſſit. *l. 23. §. 1. ad l. Aquil. l. 1. C. de inſt. & ſubſt.* vel etiam ob caſum fortuitum, conatus in effectum perduci non potuit, conditio pro impleta non habebitur. *l. 4. C. de cond. inſ. l. 31. de cond. & dem. l. 2. §. 9. in f. ſi quis caut. in Iud. ſiſt. cauſ.* &c. fallit ſi caſus vivo adhuc teſtatore intervenerit, vel tempore quo hæres needum agere potuit *l. 8. §. 7. de cond. Inſt. l. 54. §. 2. de legat. 1.* itemque favore libertatis & alimentorum, *in l. 20. de ann. legat. l. 30. §. pen. de leg. 3. l. 20. §. 3. de ſtat. lib.* Donell. *lib. 8. comm. jur. civ. c. 34. lit.* D. Zœſ. *ad tit. de cond. & dem. n. 30. & 31.* latiſſimè autem Vasq. *Illuſtr. quæſt. lib. 3. cap. 93.* Ex prædictis infers, quod ſi ego coner adoptare Titium, ſecundum voluntatem teſtatoris, is verò renuat, per ſolum conatum me conditioni & teſtatoris voluntati ſatisfeciſſe. *l. 11. de cond. inſt. ibique* DD. Item voluit aliquis parere conditioni, ſed prohibuit eum vicinus via publica, hi dies conditioni non imputantur. *l. 40. de cond. & dem.* ſimiliter ſi ſcripſerit Teſtator, uter ex fratribus meis duxerit conſobrinam habebit dodrantem, ſi non, ſaltem quadrantem, uterque conatur quidem, verum illa neutri nubere vult, ſinguli æqualiter ſuccedunt, quia teſtatoris tacita voluntas fuit, ut ſi non ſtet per fratres, ſucceſſio æquali jure fiat. *l. 23. de cond. inſt. ibique* Brunn. Eodem modo legavit quis puellæ 100. ſi Titio nubat, illa quidem parata eſt ſatisfacere Teſtatoris voluntati, ſed recuſat Titius, hic conatus, etiam per actum verbi declaratus, pro effectu habebitur. *l. 1. C. de his quæ ſub mod. l. 21. de cond. &*

dem. vid. Vaſq. *all. loc. n. 6.* ibi: *ergo mulier, aut dixit ſe velle nubere ei, cui teſtator juſſit, & illico habebit legatum.* eademque actio dabitur legatariæ, quæ competeret, ſi conditio revera adimpleta eſſet, per tradita Vaſq. *in Illuſtr. quæſt. lib. 3. c. 94. num. 12.*

Th. LVIII.

COeterum non facimus cum iis, qui ſtatuunt, puellam intra triennium conari debere, alias eam à petitione legati vel hæreditatis excludi, per *l. 2. §. ad filiorum. C. quando & quib. quart. part. deb. ibique* Bart. Bald. nam præterquam, quod in cit. textu, caſus planè diverſus & ſpecialis tractetur, contrarium luculenter pateſcit, ex *l. 10. & 91. de cond. & dem.* rationem addit Vaſq. *d. loc. n. 6.* quia cum mulier ſub conditione ad legatum fuit invitata, quod quidem legatum eſt apud hæredem, ipſiusmet hæredis intereſt quieſcere, ut interuſurio temporis fruatur, nam querela illius, cui teſtator voluit ut mulier nuberet, non eſt in conſideratione, cum in conditione ſaltem poſitus fuerit, non etiam in diſpoſitione &c. ſi verò puella ſemel palam expreſſim declaraverit, ſe nolle Titio nubere, non eſt poſtmodum locus pœnitentiæ; idem eſt, ſi ex facto contrario, mens mulieris dignoſci poſſit, *v. g.* illa ab initio nubat Cajo, poſtmodum vidua effecta, nubere conatur Titio, non accipiet relictum in teſtamento; pro ut hæc & ſimilia, ad hanc materiam facientia, ingenioſè deducit laudatus Vaſq. *d. loc.* cui adde Zœſ. *ad tit. de cond. & dem. n. 26. & 31.* Illud ſcimus quod conditio, *ſi non nupſeris*, de jure reprobetur & pro non adjecta habeatur, cum interſit Reipublicæ, liberis hominibus eam repleri *l. 2. C. de indict. viduit.* exceptio (1.) eſt *in l. 62. §. ult. de cond. & demonſtr.* (2.) *in l. 63. eod.* itemque (3.) ſi quis in loco certo ſaltem nubere prohibeatur, quia non omnis nubendi occaſio, præſciſſa videtur *l. 64. §. 1. de cond. & dem.* ſi quis tamen omnem conatum adhibe-

at,

at, quo honeſtam alibi nubendi conditionem accipiat, nec eam invenire queat, in fraudem legis prohibitio adjecta videtur *d. l. 64. §. 1. ibique* Brunn. Jure Novell. hæc conditio, in primis nuptiis prohibita, in ſecundis permiſſa, ſive ea adjiciatur à marito, ſive ab uxore, ſive ab extraneo, inſuperque additum, quod non debeat legatum ſolvi intra annum, eo verò præterlapſo non niſi ſub cautione Mutiana. *auth. cui relictum. C. de indict. viduit. nov. 22. c. 44.* §. *2.* per ſecundas enim nuptias, memoria defuncti lædi, ejusque anima quodammodo contriſtari cenſetur. *nov. 22. c. 43. & 44.* Mantic. *de tacit. & ambig. vol. lib. 11. c. 19.* ſi tamen vidua, ſponſalia ſecunda contraxerit quidem, & conata fuerit matrimonium planè conſummare, mortuus autem fuerit ſponſus, vel aliud accidens conſummationem impediverit, non perdet relictum, quoniam conditio, *ſi non nupſerit*, videtur cum effectu capienda; ita Brunnem. *ad. tit. C. de indict. viduit. & l. Iul. Miſc. toll. n. 6.* Sic nec conditio viduitatis, ad virginem ſpectat, quæ quidem nupta, ſed needum cognita eſt; quamvis enim nuptias non concubitus, ſed conſenſus faciat *l. 30. de R. I.* tamen quousque non experitur virum fœmina, pro virgine adhuc habenda eſt, nec vidua dici poteſt. Richt. *ad auth. cui relictum. C. de ind. viduit. n. 14. & 15.*

Th. LIX.

DIco (7.) Juris notiſſimi eſſe, quod ſponſalia ſi de promiſſione conſtet, per copulam carnalem tranſeant in matrimonium. *c. 30. X. de ſponſal. c. 6. de condit. appoſ.* Covarr. *de ſponſ. lib. 1. c. 12.* Struv. *Exercit. 29. th. 17.* Sed hoc tunc demum procedit quando copula carnalis verè ſecuta eſt, nam

quia fortè mulier nimis arcta fuit, *vid. c. 6. X. de frigid. & maleſ.* & cum *in d. c. ult.* præciſè requiratur actus conſummatio, ac virginitas per ſolum niſum deperdita non ſit, etiam in materia hac exorbitanti, extenſionem non faciemus. *c. quæ à jure de R. I. in 6.* Hinc infero, quod ſi impubes contraxerit ſponſalia, pro ut facere poteſt *l. 14. de ſponſ.* etiamſi pluries ſeſe copulare tentaverit, modo actu nō perfecerit, tamen eum usq; ad pubertatem, à promiſſione reſilire poſſe. *c. atteſt. 10. de deſponſ. impub.* Menoch. *lib. 3. præſ. 1. num. 48. cum ſeqq. & lib. 1. præſ. 21.* Dico (8.) quod ſi quis conatus fuerit ſolvere, nec pars adverſa acceptare, nec magiſtratus, obſignationem & depoſitionem permittere voluerit, curſus uſurarum ſiſtatur, quia quoties per Debitorem non ſtat, quo minus promiſſo ſatisfiat, nil ei imputari debet, ſed venia dignus eſt. *l. trajectitiæ 23. v. nec aliter de O. & A. l. 122. §. 3. l. ſtita 135. §. 2. de V. O. c. non ſtat. de R. I. in 6. c. imputari. eod.* ICti Marp. *conſ. 10. n. 92. v. 4.*

Th. LX.

DIco (9.) qui ob delictum ex carcere, cui mancipatus erat, aufugit, ex quo alias dato fidejuſſore veniebat relaxandus, ſi rurſus capiatur, non debet relaxari. Bald. *in l. 3. C. de Epiſc. aud.* quid igitur ſi conetur? Idem procul dubio dicendum videtur: quia ex conatu æquè ad fugiendum, quam ipſa fuga, reus criminis reputatur. Menoch. *lib. 5. præſ. 32. num. 9.* Dico (10.) fidem Judicis redimere, ejusque religionem, pecunia aliave re corrumpere tentans, eandem pœnam, quæ empti corruptique judicii eſt, ſuſtinet. *l. 34.* verbis: *aut Iudices redimere tentent. ff. de Iur. fiſc. ibique* Gothofr. nec differentiam facimus, ſive attentatio in bona, ſive mala cauſa fiat. *auth. novo Iure. C. de pœn. Iudic.* Cruſ. *de Iudic. p. 1. c. 90. num. 3.* Dico (11.) eum quoque incidere in pœnam Edicti, ut poſtulare nequeat, qui operas ſuas, in ordine ad pugnandum cum beſtiis, ſaltem locavit. *l. 1. §. 6. de poſtul. ibique* Bart. & meritò,

cum

cum indecorum ſit, ſe ob vile æs, velle in præſentiſſimum vitæ periculum conjicere. Cruſ. *d. c. 90. n. 4.*

Th. LXI.

DIco (12.) tenetur quoque pœna *l. un. C. ſi quacunque pot. præd.* qui fœminam, ſuæ Idictioni ſubjectam, in thalamum ſuum pellicere conatus fuit. *add.* Brunn. *ad cit. l.* Item infamis fit, qui pacto juratò contravenire nititur, Judicem hujus nomine interpellando, vel principi ſupplicando. *l. 41. C. de transact.* pariter impunis non erit, qui ſaltem ſtudioſum ad forum ſeculare trahere tentaverit. *auth. habita. C. ne fil. pro patr.* Eodem modo, non evadet Edictum *quod quisque jur. &c.* qui jus iniquum impetraverit, etiamſi eo uſus non fuerit. *l. 3. quod quisque jur. &c.* ſecus eſt in Judice, hic enim etſi jus iniquum ſtatuerit, non tenebitur, niſi ſententia exitum habuerit, quia factum tale lex non notat, *l. 1. inf. quod qnisque jur. ibique* DD.

Th. LXII.

DIco (13.) ſolus conatus in criminalibus fundat Idictionem, hinc ſi quis in hujus territorio attentaverit, in alterius verò delictum perpetraverit, utriusque Jurisdictio eſt, & locus præventioni erit, *l. 1.* ibi *: vel inchoata. C. ubi de crim.* Frantzk. *ad tit. de Ind. n. 41.* Brunnem. *ad d. l. 1. &c. n. 12. & ſeqq.* Struv. *Exerc. 9. th. 45.* Dico (14.) Conatus efficit ex alias illicito licitum: ſic enim filia, patrem ſibi ſtuprum inferre volentem, pro defenſione pudicitiæ, rectè interficit. *arg. l. 3. de Iuſt. & jur. l. 45. §. pen. ad l. Aquil.* Berl. *p. 4. concl. 6. n. 63.* pater jure filium, & vice verſa filius patrem, ad delendam Rem-

ARguto quoties percurris pollice chordas,
Unum opus hoc, *Stocki*, credo fuiſſe tuum.
At quoties legum ſinuoſa volumina pandis,
Huic uni ſtudio Te incubuiſſe puto.
Ergo ſi felix, qui miſcuit utile dulci,
Tu dici felix terque quaterque potes.

Paucis hiſce Nobiliſſimo ac Doctiſſimo Domino Doctorando, Amico ſuo ut hactenus ita & ſemper dilectiſſimo, dudum expertum benevolæ mentis affectum

obſignare voluit, debuit.

JOH. DANIEL DORSTENIUS
Medic. Doctor & Profeſſ. ordin. Archiater, p. t. Facultatis Medicæ Decanus, nec non h. t. Academiæ Rector.

NUper erat dubio bello congreſſa Dearum
Triga, volens Stokium quælibet eſſe ſuum.
Terpſichore *meus eſt, inquit, quia pollice dextro*
Threiciæ didicit plectra movere chelys,
Et fidibus canere, & blanda teſtudine curas

Noſter erit, cunctos juris de fontibus hauſit
Qui ſolers latices, verba Themiſtis *erant.*
Parcite ſed Divæ verbis! felicius eſto
Qui TRIBUS eſt dignus, judice Sole, TRIUM.

Pereximio atque clariſſimo Domino Candidato & humanioribus & teſtudinis ſtudiis ſibi conjunctiſſimo adjecit.

MAXIMILIANUS PERCELLI
Hiſtoriæ Eccleſ. & Civilis uti & Eloquentiæ Prof. ord.

QUiſquis cruento more ferociter
In Innocentis Ludere Principis
Caput minatur, Quiſquis atrox,
Barbaricâ meditatur arte
Notata ſacris crimina legibus;
Nunquam ſeveri, credite, Judicis
Evadet iram, ſed nefandi
Supplicium patietur auſus.
Aſt quale? noſter Stockius arduis
Sagacioris viribus ingenî
Pollens, profundos dum eruditæ
In themidos penetrat receſſus
Id monſtrat, ergo gratulor auſui,
Fructus ſequentur, gloria honos quoque,
Nam pertinaces per labores
Laus emitur, pretiumque famæ.

Inmeritiſſimos Nobiliſſ. & Doctiſſ. Doctorandi honores fundebat

M. D. Grollman D.

RVrſus ferventi doctrinæ percitus æſtro
Certamen placitum Stockius intrat, amat,
Auguror? emeriti namque hæc ſunt ſigna triumphi,
Quod viridi lauru ſis redimendus: Ave,
Muſarum cultor: tantas ſapientia laudes
Gignit, gaude, tibi gloria parta manet.

Hiſce præſtantiſſimo pariter, ac Doctiſſimo Domino Candidato, Amico atque commenſali hactenus ſuavisſimo, applaudere voluit, debuit.

R. B. de GUNTERROD.

RES auſpicata, digna res præconio,
Juris in arena ferre palmam, & præmium,
Cultoribus quod ſtrenuis dare hoc ſolet.
O Patriæ flos & decus, STOCKI, tuæ!
Quàm bene virebit in tuo capite triplex
Laurea THEMIDIS, HUMANITATIS, MUSICES!

Nobiliſſimo Domino Candidato Conſalino & Amico non uni ex multis in ſingularis Benevolentiæ ſignum appoſuit.

P. B. â GUNTERROD.

QUi non perpetui fervore tenetur honoris,
Judice me prudens dicier ille nequit.
Aſt ſtudiis nitidas laudum qui tendit ad arces,
Is ſapit, atque luto eſt de meliore ſatus.

Gratulor ex animo, STOCKI, in pia vota ſolutus,
Vergat ut in laudes, quod facis omne, Tuas.

Exiguum
Votivæ gratulationis
erga
Nobiliſſ. & Clariſſ. Dn. Candidatum, Fautorem honorandum, Commenſalem ſuaviſſimum, monimentum

JOH. BERNHARDI SCHIELE,
ad Mœnum Francofurtenſis.

Poſt exantlatos & luce & nocte labores
Stocki, Te ſummo mactat honore Themis!

Nachdem / o Edler Stock / Ihr manchen Tag und Nacht /
Mit ſaurer Arbeit habt in Büchern zugebracht:
Verehrt Euch Themis ſelbſt zu wohlverdientem Lohn /
Durch ihrer Söhne Hand / der Ehren frohe Kron.

Hiſce.
Clariſſimo Dn. Candidato Fautori & Commenſali colendo gratulari voluit,

JOH. PHILIPPUS Fleiſchbein
à Kleeberg. Francof.

FINIS.